SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

XXII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1873.

LUCII CAECILII FIRMILIANI LACTANTII

LIBER

DE MORTIBUS PERSECUTORUM

ET

S. VICTORIS VITENSIS

HISTORIA

PERSECUTIONIS VANDALICAE.

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

Pag.

Annotatio I. Principia ad solvendas plerasque difficultates ex Scripturis adversus Christi divinitatem 167

Annotatio II. Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas (Gen. 1, 2), ipse est Spiritus s. ex patrum sententia 181

Annotatio III. Spiritus s. divinitas probatur ex 1. Cor. 2, 10. 188

Annotatio IV. Spiritus s. divinitas probatur ex Act. 5, 3. 190

Annotatio V. Stupendum miraculum, quod tempore persecutionis vandalicae contigit 223

Lectori.

Lucius Caelius vel Caecilius Firmianus Lactantius in Africa ut videtur vel in Italia secundum alios natus parentibus ethnicis Arnobii discipulus fuit, adeoque in literis humanioribus profecit, ut hunc non modo aequaverit, sed etiam vicerit dicendi suavitate, quare a lactea eloquentia *Lactantius* dictus est. Circa a. 301. Nicomediam accitus est sub Diocletiano, ut artem rhetoricam doceret, ibique mansit ad a. 312., quo a Constantino in Galliam accersitus est, ut Crispi filii primogeniti, magnae spei principis, juvenilem aetatem nobilioribus artibus ac literis informaret. Reliqua ejus vitae fata sunt ignota, neque enim constat quo anno natus, quo fidem christianam amplexus, quo demum mortuus sit. Satis verosimile est, eum in extrema senectute c. a. 325. vel secundum alios c. 330. obiisse. Eo magis innotuit operibus, quae tamen, si pretium theologicum spectes, minoris sunt auctoritatis; neque mirum, cum fere semper versatus sit in literis humanioribus traden-

dis; hinc jam Hieronymus de eo scribit [1]): „Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.“ Aliena vero destruxit praesertim in praeclaro opere *divinarum institutionum*, quod quia nimis prolixum hisce in tomulis exhibere non possumus. Sed ne penitus Lactantius huic collectioni deesset, saltem unum ex ipsius libris selegimus, *de mortibus* scil. *persecutorum*, qui ceteros utilitate praecellit, quique eo majoris est auctoritatis, quod Lactantius iis magna ex parte interfuit, quae narrat.

Repertus est hic liber a Stephano Baluzio ac primum editus Parisiis 1679, quam editionem plures aliae doctissimis saepe commentariis illustratae sunt secutae [2]). Magno porro consensu viri eruditi hunc l. Lactantio adjudicarunt. Doctissimus tamen Nicolaus le Nourry, qui eundem l. 1719. edidit, infirma esse existi-

---

[1]) Ep. 58. ad Paulinum, in edit. nostra t. 11. ep. 8. n. 10.

[2]) Aliae editiones sunt: Ed. Le Brun et Lenglet, Parisiis 1748. t. 2.^{0} op., quae recusa est Wirceburgi 1783. et Biponti 1786; Gallandii t. 4; Fritsche, Lipsiae t. 2.^{0} 1844; Migne Patrol. t. 7.^{0}; in hisce editionibus reperitur hic l. cum aliis Lactantii operibus.

mavit argumenta, quibus ille huic scriptori tribuitur, aliaque, ut sibi visum est, suppetere censuit, nec minimi momenti, quibus Lactantio abjudicetur. Sed neminem fere ad suam traxit sententiam. Librum hunc genuinum Lactantii esse foetum plura suadent, et auctoritas Hieronymi, qui in catalogo script. eccl. c. 80. memorat Lactantii *de persecutione librum unum*, qui titulus profecto huic libro convenit: et stili similitudo, et quod Donato sit inscriptus, qui idem videtur cum illo, cui inscripsit Lactantius l. de ira Dei; et quod auctor admodum bene sit edoctus circa ea, quae tempore Diocletiani et Galerii Nicomediae contigerunt, eodemque tempore vixisse videatur: hoc autem Lactantio omnino congruit, qui tot annos sub Diocletiano et Galerio Nicomediae degit. Denique alterius Lucii Caecilii, quod nomen codex ms. praefert, nulla in tota antiquitate habetur mentio.

Dolendum tamen est, hujus insignis libri unum tantum superesse codicem ms. eumque mendis infectum quam plurimis. Hinc etiam plurimae occurrunt apud diversos editores et viros criticos conjecturae et textus emendationes. Has saltem majoris si essent momenti expendimus, illamque, quae nobis praeferenda videbatur, adoptavimus aliis in annotationibus indicatis.

Apte Lactantii libro, quo acerrimas in christianos persecutiones ab imperatoribus romanis excitatas describit, subjungimus historiam Victoris Vitensis *de persecutione vandalica*, qua ecclesia africana olim florentissima diu miserandum in modum (ab a. 442.—523.) vexata fuit. Hoc autem opusculo, inquit Ruinart [1]), „nullum fere illustrius est in tota antiquitate monimentum, utiliusve aut efficacius, tum ad inflammandum in fidelium pectoribus et animis christianae religionis studium ac fervorem, tum ad confirmanda sacrae doctrinae dogmata, tum denique ad revincendos haereticos tam veteres quam recentiores. Hinc est, quod ubi primum lucem aspexit, opportunum in primis visum est ad retundendas novatorum calumnias, qui Ecclesiae catholicae doctrinam novitatis nomine criminabantur. In hoc enim opere laudantur incruenti sacrificii divina mysteria et sacri ritus: hic invenire licet corporis et sanguinis Christi sacramentum, poenitentiae munus et reconciliationis indulgentiam sacerdotum ministerio concessam, ad quos peccata solvere ex Christi institutione pertinet: hic baptismi unitas maxime commendatur, hic fontis baptismatis sacrae benedictiones laudatae, solemnes ritus in defunc-

---

[1]) In praef. historiae persecutionis vandal. n. 3.

torum fidelium exequiis usitati memorantur. Basilicae in sanctorum honorem Deo consecratae, sanctorum in coelis regnantium invocatio, romanae ecclesiae primatus, virgines Deo sacrae aliaque ejusmodi bene multa passim occurrunt: quae eo certiora sunt traditionis antiquae indicia, quod ab isto auctore nulla data opera et absque ulla affectationis specie prolata fuerint.«

Hujus libri auctor optimorum codicum consensione est Victor episcopus vitensis, (non uticensis, ut plures Lorichium secuti falso eum appellarunt) tristissimorum illorum temporum aequalis, qui sub Hunerici tyranni persecutione pro fidei catholicae defensione decertavit [1]). Scripsit autem hanc historiam a. 479., cum ipsemet se anno postquam vandali in Africam ingressi fuerunt sexagesimo scripsisse testetur, certum autem sit vandalos a. 429. ex Hispania in Africam trajecisse. Ea vero complectitur, quae vandali adversus orthodoxos commisere ab ipso eorum ingressu usque ad Hunerici mortem (485.), ita tamen ut multa ab auctore praetermissa sint, sive quod non satis ipsi fuerint nota, sive quod ea potissimum, quae sub Hunerici persecutione testis oculatus viderat, re-

---

[1]) Alia quae ad hunc auctorem spectant sunt plane ignota vel incerta. Cf. Ruinart in praef. cit.

ferre statuisset. Hinc saepius innuit, se ex pluribus pauca selegisse multaque a se fuisse omissa, non solum quae in exteris regionibus contigerant, sed etiam ex iis, quae in variis Africae regionibus pertulerant orthodoxi.

Saepius edita fuit haec historia. Seculo 16. numerantur saltem octo editiones sub nomine tamen Victoris *uticensis*. Novam editionem curarunt Petrus Franciscus Chiffletius Divione 1664. et Theodoricus Ruinart in sua historia persecutionis vandalicae Parisiis 1694. in 8^{0}; Venetiis 1732. in 4.^{0} et in Patrol. Migne t. 58, cujus etiam nos editionem sumus secuti.

LUCII CAECILII FIRMILIANI LACTANTII

LIBER

AD DONATUM CONFESSOREM

DE MORTIBUS PERSECUTORUM.

I. Audivit Dominus orationes tuas, Donate carissime, quas in conspectu ejus constanter fundis per dies omnes, et carissimorum fratrum [1]), qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam pro fidei suae meritis quaesierunt. Ecce addetur [2]) his omnibus adversarius; et restituta

[1]) *Quas in conspectu ejus . . . quaesierunt.* In prioribus editionibus legebatur: *Ejus per omnes horas tota die fundis ceterorumque fratrum nostrorum, qui* etc. Sed Lenglet ex reliquiis literarum codicis conjecit legendum esse, ut in textu habetur. Quis autem fuerit hic Donatus cui liber inscriptus est, non satis liquet. De eo quaedam habentur infra cc. 16, 35.

[2]) *Addetur.* Multae ad hunc locum illustrandum eruditorum conjecturae. Heumann cum aliis legendum conjicit: *Ecce deletis omnibus adversariis*;

per orbem tranquillitate, profligata nuper Ecclesia rursum exsurgit, et majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes, qui tyrannorum nefaria et cruenta imperia rescinderunt, humano generi providerunt, ut jam quasi discusso transacti temporis nubilo mentes omnium pax jucunda et serena laetificet. Nunc post tantae tempestatis violentos turbines placidus aër et optata lux refulsit. Nunc placatus servorum suorum (precibus) Deus [1]) jacentes et afflictos coelesti auxilio sublevat. En nunc moerentium lacrymas, exstincta impiorum conspiratione, deterget. Qui illuc-

---

Cotelerius cum Toinard, *adteritur*, alii *arcetur* vel *deletur* vel *aboletur:* nomine autem *adversarii* intelligunt diabolum. Sed retinenda est lectio *addetur* (al. *additur*), qua supposita haec quorundam est explicatio: *Addetur his* nempe *orationibus* (ita conjiciunt legendum pro *omnibus*) vel *nobis* (pro *his*) *omnibus* a Deo etiam *adversarius* noster, sive is senatus romanus sit, sive alius quiscunque. Sed retenta hac explicatione nulla necessitas mutandi lectionem vulgatam *his omnibus*, scil. adjungetur *his omnibus* fratribus, quorum fecerat mentionem, vel ipse adversarius, tanta est vis harum orationum etc. In quacunque tamen conjectura vel explicatione sensus h. l. nonnihil est implexus.

[1]) *Nunc placatus servorum s. precibus*, hanc

tati[1]) erant Deo, jacent; qui templum sanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui justos excarnificaverant, coelestibus plagis et cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt; serius quidem, sed graviter ac digne. Distulerat enim poenas eorum Deus, ut ederet in eos magna et mirabilia exempla, quibus posteri discerent et Deum esse unum, et eundem vindicem[2]) digna videlicet supplicia impiis ac persecutoribus irrogare. De quorum exitu (scripto) testificari placuit, ut omnes qui procul amoti fuerunt, vel qui postea futuri sunt, scirent quatenus virtutem ac majestatem suam in exscindendis delendisque nominis sui hostibus Deus summus ostenderet. Hinc itaque utile[3]) est, si a prin-

---

vocem ex conjectura addunt nonnulli. Sed Bünemann advertit, nil addendum esse, si ita legas: *Nunc placatus Deus servorum suorum* (i. e. servis suis) *jacentes et afflictos* etc.

[1]) *Illuctati.* Al. *Adversati.* Ms. *illustrati,* pro quo legendum conjiciunt viri critici *illuctati.*

[2]) *Eundem vindicem.* Nourry cum aliis ponunt: *Eundem mortem digna ultione superbis.* Infra: *De quorum exitu* etc. hic in ms. aliqua lacuna habetur, quam ita, ut habes in textu, nonnulli supplent. Alii pro *scripto* ponunt *palam.*

[3]) *Hinc itaque utile.* Alii lacunam, quae hic occurrit ita supplent: *Nunc tamen satis est.* Tota ca-

cipio, ex quo est Ecclesia constituta, qui fuerint persecutores et quibus poenis in eos coelestis judicis severitas vindicaverit, exponam.

II. Extremis temporibus Tiberii Caesaris, ut scriptum legimus, Dominus noster Jesus Christus a judaeis cruciatus est post diem decimum Kalendarum Aprilium, duobus Geminis consulibus: cum resurrexisset die tertio, congregavit discipulos, quos metus comprehensionis ejus in fugam verterat, et diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit corda eorum, et Scripturas interpretatus est, quae usque ad id tempus obscurae atque involutae fuerunt. Ordinavitque eos et instruxit ad praedicationem dogmatis ac doctrinae suae, disponens testamenti novi solemnem disciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, et subtractum oculis hominum, rapuit in coelum. Et inde discipuli, qui tunc erant undecim, adsumptis in locum Judae proditoris Mathia et Paulo[1]), dispersi sunt per omnem terram

---

pitis clausula lacunis laborat, quas tamen viri eruditi sat dextere supplerunt.

[1]) *Mathia et Paulo*, non quasi Paulus ab Apostolis in Judae locum cum Mathia fuerit suffectus,

ad evangelium praedicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat, et per annos XXV usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit[1]), et editis quibusdam miraculis, quae virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat exsecrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum coeleste templum, delendamque justitiam, et primus omnium[2]) persecutus Dei servos, Petrum

---

sed innuere tantum voluit Lactantius loco Judae, alios duos apostolatus munere fuisse functos, Mathiam scil. sorte lectum et Paulum ab ipso Christo assumptum.

[1]) *Petrus Romam advenit*, haec de altero Petri adventu sunt intelligenda, cum certum omnino sit, eum jam sub Claudio in Urbem venisse.

[2]) *Primus omnium.* Idem affirmant Tertullianus apolog. c. 5. n. 24. (opusc. t. 19); Augustinus l. 2. c. literas Petil. c. 92. et Sulpitius Severus l. 2. hist. sacrae.

cruci affixit, et Paulum interfecit. Nec tamen habuit impune. Respexit enim Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperii[1]), ac devolutus a summo ty-

---

[1]) Haec de Neronis fine refert Suetonius: „Cum a senatu Nero quaereretur ad poenam, e palatio fugiens ad quartum Urbis milliarium in suburbano liberti sui inter Salariam et Numentanam viam semet interficit anno aetatis suae 32," quod contigit a. Christi 68. die 9 Jun. Quae dein Lactantius ex quorundam opinione de Nerone, praecursore antichristi, refert opinatus quoque est s. Martinus turonensis ap. Sulpitium Severum dial. 2. et eodem teste hist. sacrae l. 2. n. 28. plures alii putarunt, Neronem fore ipsum antichristum, nam ita scribit de Nerone: „Dignus exstitit qui persecutionem in christianos primus inciperet, nescio an et postremus explebit, si quidem opinione *multorum* receptum sit, ipsum esse antichristum venturum." Ita ex gr. Victorinus schol. ad Apocal. c. 17. et Commodianus instruct. 41. adv. gentium deos. Pariter et Hieronymus in Danielis XI, 30. scribit: „*Multi* nostrorum putant, ob saevitiae et turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem antichristum fore." Augustinus de civitate Dei l. 20. c. 19: „Nonnulli ipsum (Neronem) resurrecturum et futurum antichristum: alii vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus, et vivum occultari in vigore ipsius aetatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur et restituatur in regnum." Videtur haec opinio orta ex fabella, quae etiam teste Suetonio c. 57. apud ethnicos vulgata erat, scil.

rannus impotens, nusquam repente comparuit; ut ne sepulturae quidem locus in terra tam malae bestiae appareret. Unde illum quidam deliri credunt esse translatum, ac vivum reservatum, Sibylla dicente matricidam profugum a finibus esse venturum; ut quia primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur, et antichristi praecedat adventum. Itaque fas est credere[1]), sicut

---

Neronem minime occubuisse, hinc etiam ejus nomine edicta proferebant, quasi certo adhuc viveret et in maximam hostium perniciem esset reversurus.

[1]) *Itaque fas est credere.* Ita conjicit legendum esse Lenglet; aliae editiones habent, *quod nefas est credere,* quae tamen nec cum vestigiis in ms. relictis, nec cum contextu satis consonant (?), ita ille. Et in hujus capitis clausula plures occurrunt lacunae. Ita infra post *translatos in ultima* supplenda videntur *tempora atque*; post *descendere coeperit* verba *quod Sibyllae futurum*; post *venturum putant* syllabae *ut prae* quae posterior spectat ad vocem *cursor.* Hi prophetae sunt, ut omnibus est notum, Elias et Henoch. Ita enim ex gr. de Elia scribit Augustinus de civ. Dei l. 20. c. 29: „Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam exposita sibi lege ultimo tempore ante judicium judaeos in Christum verum i. e. in Christum nostrum esse credituros *celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.* Ipse quippe ante adventum judicis Salvatoris non immerito speratur esse venturus, quia etiam nunc vivere non immerito creditur.“ De illis vero

duos prophetas vivos esse translatos in ultima tempora atque initium Christi sanctum ac sempiternum, cum descendere coeperit, quod Sibyllae futurum praenunciant: eodem modo etiam Neronem venturum putant ut praecursor diaboli, ac praevius sit venientis ad vastationem terrae et humani generis eversionem.

III. Post hunc, interjectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus est[1]), qui cum exerceret injustam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit quam diutissime, tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet. Postquam vero ad persequendum justum populum instinctu daemonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit poenas. Nec satis ad ultionem fuit, quod est interfectus domi, etiam memoria nominis ejus erasa est. Nam cum multa mirabilia opera fabricasset, cum Capitolium aliaque nobilia monumenta fecisset, senatus ita nomen ejus

---

Sibyllarum prophetiis fusius disserit Lactantius Institut. l. 7. cc. 15—20.

[1]) *Non minor tyrannus*, scil. Domitianus, quem Tertullianus Apol. c. 5. n. 24. (opusc. t. 19) *portionem Neronis de crudelitate* dicit. Plures editiones mox *invisam* habent pro *injustam*.

persecutus est[1]), ut neque imaginum neque titulorum ejus relinqueret ulla vestigia, gravissimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam sempiternam. Rescissis igitur actis tyranni [2]), non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit; secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes [3])

---

[1]) Suetonius in Domitiano haec refert: „Contra senatus adeo laetatus est, ut repleta certatim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere lacerare, scalas etiam inferri clypeosque et imagines ejus coram detrahi et ibidem solo affigi juberet, novissime eradendos ubique titulos abolendamque omnem memoriam decerneret.“ Et Macrobius Saturnal. l. 1. c. 12: „Octobrem vero suo nomine Domitianus invaserat: sed uti infaustum vocabulum ex omni aere vel saxo placuit eradi.“

[2]) *Rescissis actis tyranni.* Narrat Dio apud Xiphilinum, Nervam (Domitiani successorem) omnes, qui impietatis in deos rei fuerant, absolvisse, exsules in patriam reduxisse, edicto insuper vetuisse, ne cui liceret aut impietatis sive judaicae sectae (sic tunc vocabant religionem christianam) quempiam dehinc insimulari. Ea porro occasione Joannes apostolus, qui in Pathmos insulam a Domitiano fuerat relegatus, exsilio solutus Ephesum reversus est, ut ex Clemente alex. recitat Eusebius l. 3. c. 23. Lenglet.

[3]) *Boni principes*, ex gr. Antoninus Pius

romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in orientem occidentemque porrexit; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad justitiae opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est.

IV. Exstitit enim post annos plurimos[1]) exsecrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam, nisi malus persequatur? Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum coepit, ut protinus caderet. Nam profectus adversum Carpos, qui tum Daciam Moesiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris, et cum magna exercitus parte deletus,

---

Alexander Servus, Philippus etc. Pax tamen haec, quam describit, non fuit absque turbis, neque caruit martyribus, sed prae illis saevissimis procellis, quarum fecit mentionem Lactantius, pax dici potuit. Cf. Tertullianum Apolog. c. 5. n. 25.

[1]) *Post annos plurimos.* Imperium tenuit Decius ab a. 249—251. Decii interitum divinae ultioni tribuit etiam Cyprianus l. de lapsis n. 1. (opusc. t. 5).

nec sepultura quidem potuit honorari[1]); sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

V. Non multo post[2]) Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit et multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari poenae genere adfecit, ut esset posteris documentum adversarios Dei semper dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus a persis, non modo imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissime. Nam rex persarum Sapor, is, qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi romanum jubebat, ac terga praebere, et imposito pede supra dorsum ejus, illud esse verum dicebat[3]), exprobrans ei cum risu, non quod

---

[1]) *Ne sepultura potuit honorari*, inter paludes enim victus et cum excercitu deletus est.

[2]) *Non multo post*, nam Valerianus saeviit anno Christi 257. a. imperii 5.

[3]) Inserit hic Lenglet claritatis gratia *triumphi genus*, quamvis in ms. haec verba desint. Possent etiam verba praecedentia *esse verum* post particulam negantem *non* suppleri; idem fere erit sensus.

in tabulis aut parietibus romani pingerent. Ita ille dignissime triumphatus, aliquandiu vixit, ut diu barbaris romanum nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad poenam, quod cum filium haberet imperatorem, captivitatis suae tamen ac servitutis extremae non invenit ultorem, nec omnino repetitus est. Postea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta[1]) est ei cutis, et exuta visceribus pellis infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque nostris semper esset ostentus, ne nimium romani viribus suis fiderent, cum exuvias capti principis apud deos suos cernerent. Cum igitur tales poenas de sacrilegis Deus exegerit, nonne mirabile est ausum esse quemquam postea non modo facere, sed etiam cogitare adversus majestatem singularis Dei, regentis et continentis universa?

VI. Aurelianus, qui esset natura vaesanus et praeceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset; tamen oblitus sceleris

---

[1]) *Direpta.* Conjiciunt eruditi legendum esse *derepta* est, cum *derepere* sit detrahere, auferre; *diripere* vero expilare.

ejus et poenae, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere quidem quae cogitaverat, licuit, sed protinus inter initia sui furoris exstinctus est. Nondum ad provincias ulteriore cruenta ejus scripta pervenerant, et jam Coenofrurio, qui locus est Thraciae, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus[1]). Talibus et tot exemplis coerceri posteriores tyrannos oportebat. At hi non modo territi non sunt, sed audacius etiam contra Deum confidentiusque fecerunt.

VII. Diocletianus, qui scelerum inventor et malorum machinator fuit, cum disperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem terrae simul et avaritia et timiditate subvertit[2]). Tres enim participes regni sui fecit, in quatuor partes orbe diviso, et multiplicatis exercitibus, cum singuli eorum longe majorem numerum militum habere contenderent, quam priores

---

[1]) *Interemptus* scil. mense Aprili a. 275.

[2]) *Orbem terrae* i. e. immensam imperii romani amplitudinem; *timiditate sua*, qua tres regni sui participes fecit, nempe Maximianum cognomento Herculium a. Chr. 285, Constantium cognomento Chlorum et Galerium Maximianum cognomento Armentarium a. 293.

principes habuerant, cum soli rempublicam gererent. Adeo major esse coeperat numerus accipientium quam dantium, ut enormitate indictionum[1]) consumptis viribus colonorum, desererentur agri, et culturae verterentur in silvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciae quoque in frusta concisae, multi praesides et plura officia[2]) singulis regionibus, ac pene jam civitatibus incubare, item rationales multi, et magistri, et vicarii praefectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum et proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebrae, sed perpetuae, et in exactionibus injuriae non ferendae. Nec[3]) quoque tolerari possunt, quae ad exhibendos milites spectant. Idem insatiabili avaritia thesauros nunquam minui volebat, sed semper extraordinarias opes ac largitiones congerebat; ut ea quae recondebat, integra atque inviolata servaret. Idem

---

[1]) *Indictionum* i. e. tributorum.

[2]) *Officia*, qui publicis officiis, muneribus funguntur. Infra *Rationales* i. e. fisci regii procuratores missi in provincias. *Actus civiles*, actus qui spectarent civium commoda, civitatis pacem ordinemque

[3]) *Nec.* Ms. habet *haec.* Conjiciunt tamen viri eruditi ratione contextus legendum esse *nec.*

cum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua et vilia multus sanguis effusus, nec venale quidquam metu[1]) apparebat, et caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa post multorum exitium solveretur. Huc accedebat infinita quaedam cupiditas aedificandi, non minor provinciarum exactio in exhibendis operariis, et artificibus, et plaustris omnibus, quaecunque sint fabricandis operibus necessaria. Hic basilicae, hic circus, hic moneta[2]), hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiae. Repente magna pars civitatis exceditur[3]). Migrabant omnes cum conjugibus ac liberis, quasi urbe ab hostibus capta. Et cum perfecta haec fuerant cum interitu provinciarum: Non recte facta sunt, ajebat, alio modo fiant. Rursus dirui ac mutari necesse erat, iterum fortasse casura. Ita semper dementabat[4]), Nicomediam studens urbi Ro-

---

[1]) *Metu* i. e. ex metu.

[2]) *Moneta*, aedificium, officina monetae cudendae et obsignandae.

[3]) *Exceditur*, deseritur ab incolis, qui excedere cogebantur.

[4]) *Dementabat*, insaniebat Miegius ingeniose conjicit legendum esse *emendabat.*

mae coaequare. Jam illud praetereo, quam multi perierint possessionum aut opum gratia. Hoc enim usitatum et fere licitum consuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit praecipuum, quod ubicunque cultiorem agrum viderat, aut ornatius aedificium, jam parata domino calumnia et poena capitalis, quasi non posset rapere aliena sine sanguine.

VIII. Quid frater ejus[1]) Maximianus, qui est dictus Herculius, non dissimilis ab eo? Nec enim possent in amicitia tam fideli cohaerere, nisi esset in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, aequa sententia. Hoc solum differebant, quod avaritia minori altero fuit plus[2]), majori vero minus, sed

---

[1]) *Frater ejus*, non natura, sed imperatoria dignitate.

[2]) *Quod avaritia* etc. Locum hunc corruptum censent viri eruditi, hinc alii eum emendant. Quid sibi velit Lactantius sat clarum videtur: significare scil. vult, plus avaritiae fuisse in Diocletiano, libidinis plus et timiditatis in Maximiano. Si nil mutetur poterit forte hic locus ita explicari: hunc Maximianum fuisse plus avaritia scil. praeditum (forte leg. *avaritiae* ut sensus sit, majoris avaritiae eum fuisse), quam alter Maximianus, cujus n. sequenti facit mentionem, quem quia junior erat *minorem* dicit, minus fuisse tamen avaritia infectum quam major i. e. Diocletianus erat.

plus timiditatis, plus vero animi, non ad bene faciendum, sed ad male. Nam cum ipsam imperii sedem teneret Italiam, subjacerentque opulentissimae provinciae vel Africa vel Hispania, non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. Et cum opus esset, non deerant locupletissimi senatores, qui subornatis indiciis, affectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur assidue lumina senatus. Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat. Jam libido in homine pestifero, non modo ad corrumpendos mores, quod est odiosum ac detestabile, verum etiam ad violandas primorum filias. Nam quacunque iter fecerat, avulsae a conspectu parentum virgines statim praesto. His rebus beatum se judicabat; his constare felicitatem imperii sui putabat, si libidini et cupiditati malae nihil denegaret.

Constantium praetereo, quoniam dissimilis ceterorum fuit, dignusque qui solus orbem teneret.

IX. Alter vero Maximianus, quem sibi generum Diocletianus asciverat, non his duobus tantum, quos tempora nostra senserunt, sed omnibus qui fuerunt, malis pejor. Inerat huic bestiae naturalis barbaries, et fe-

ritas a romano sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus transdanuviana infestantibus Carpis in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, status celsus, caro ingens et in horrendam magnitudinem diffusa et inflata. Denique et verbis et actibus et aspectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrime. Cujus timoris haec fuit causa. Narseus rex persarum, concitatus domesticis exemplis avi sui Saporis, ad occupandum orientem cum magnis copiis inhiabat. Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticulosus animique disjectus, simul et exemplum Valeriani[1]) timens, non ausus est obviam tendere, sed hunc per Armeniam misit, ipse in oriente subsistens et aucupans exitus rerum. Ille insidiis suis barbaros, quibus mos est cum omnibus suis ad bellum pergere, multitudine impeditos et sarcinis occupatos non difficiliter oppressit; fugatoque Narseo rege, reversus cum praeda et manubiis ingentibus, sibi attulit superbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est,

---

[1]) *Valeriani*, qui a Persis captus fuerat atque durissime habitus, ut supra n. 5. relatum fuit.

ut jam detrectaret Caesaris nomen. Quod cum in literis ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat: Quousque Caesar[1])? Exinde insolentissime agere coepit, ut ex Marte se procreatum et videri et dici vellet, tamquam alterum Romulum; maluitque Romulam matrem stupro infamare, ut ipse diis oriundus videretur. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Postea enim quam nomen Imperatoris accepit, exuto socero[2]), tum demum furere coepit, et contemnere omnia. Diocles[3]) (sic) enim ante imperium vocabatur, cum rem publicam talibus consiliis et talibus sociis everteret, cum pro sceleribus suis nihil non mereretur, tamdiu tamen summa felicitate regnavit, quamdiu manus suas justo-

---

[1]) *Quousque Caesar?* Ambiebat enim Galerius vocari et esse imperator et Augustus i. e. primum habere locum; Caesaris enim erat nonnisi locus secundus. — *Romulam matrem,* ita revera vocabatur Galerii mater.

[2]) *Exuto socero* i. e. postquam Diocletianus purpura exuta se imperio abdicavit et Galerius imperator factus est.

[3]) Particulam *sic* claritatis gratia nonnulli inserunt. Diocletianus antequam capesseret imperium *Diocles* vocabatur.

rum sanguine non inquinaret. Quam vero causam persequendi habuerit, exponam.

X. Cum ageret in partibus orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, et in jecoribus earum ventura quaerebat. Tum quidam ministrorum, scientes Dominum[1]), cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis daemonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant; et quasi non litassent, saepius immolabant. Verum identidem mactatae hostiae nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tagis, seu suspicione, seu visu, ait idcirco

---

[1]) *Scientes Dominum* i. e. christiani *immortale signum* scil. crucis, de quo cf. quae annotavimus opusc. t. 11. p. 99 ss. et quae opusc. t. 1. p. 118. ex Lactantio attulimus, quibus adde haec Augustini ennarr. in Ps. 50. n. 1. de multis christianis sui temporis referentis: „Qui si forte in ipso circo aliqua causa expavescant, continuo se signant et stant illic portantes in fronte, unde abscederent, si hoc in corde portarent;“ et quod refert Theodoretus hist. eccl. l. 3. c. 1: „Cum isti vero daemones solita specie apparuissent, coegit Julianum timor imponere fronti crucis signum.“ Ceterum quae hic breviter narrat Lactantius, prolixius describunt Prudentius in Apotheosi v. 449 ss. et Gregorius turonensis Miraculorum l. 1. c. 41.

non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furoris sacrificare non eos tantum, qui sacris ministrabant, sed universos, qui erant in palatio jussit, et in eos, si detrectassent, verberibus animadverti; datisque ad praepositos literis, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia praecepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor ejus et ira processit, nec amplius quidquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquanto tempore, in Bithyniam venit hyematum; eodemque tum Maximianus quoque Caesar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos christianos instigaret senem vanum[1]), qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc causam fuisse cognovi.

XI. Erat mater ejus deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. Quae cum esset dapibus sacrificabat pene quotidie, ac vicariis suis epulis exhibebat[2]). Christiani abstinebant; et illa cum gentibus epulante, jejuniis hi et orationibus insiste-

---

[1]) *Senem vanum* i. e. Diocletianum.

[2]) *Quae cum esset* etc. Locus nonnihil corruptus, cujus tamen sensus videtur, mulierem hanc scil. Romulam dapes idolis immolatas suis vicariis seu ministris et famulis comedendas dedisse.

bant. Hinc concepit odium adversus eos, ac finum suum non minus superstitiosum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter se per totam hyemem consilio, cum nemo admitteretur, et omnes de summo statu rei publicae tractari arbitrarentur, diu senex[1]) furori ejus repugnavit, ostendens quam perniciosum esset inquietari orbem terrae, fundi sanguinem multorum; illos libenter mori solere; satis esse si palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit praecipitis hominis insaniam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiae; cum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur. Cum autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpae ascriberetur quidquid ipse deliquerat. Admissi ergo judices pauci et pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversus christianos odio inimicos deorum et hostes religionum publicarum tollendos esse censuerunt, et qui aliter sentiebant, intellecta hominis voluntate, vel ti-

---

[1]) *Senex*, Diocletianus; *ejus* scil. Galerii Maximiani.

mentes, vel gratificari volentes in eandem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est Imperator, ut accommodaret assensum, sed deos potissimum consulere statuit, misitque aruspicem ad Apollinem Milesium. Respondit ille ut divinae religionis inimicus. Traductus est itaque a proposito. Et quoniam nec amicis, nec Caesari[1]), nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet, cum Caesar vivos cremari vellet, qui sacrificio repugnassent.

XII. Inquiritur peragendae rei dies aptus, et felix, ac potissimum Terminalia[2]) deliguntur, quae sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni. Ille dies primus leti primusque malorum causa fuit, quae et ipsis et orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus[3]) octavum et septimum, repente adhuc dubia luce ad ecclesiam praefectus cum ducibus, et tribunis, et rationalibus venit; et

---

[1]) *Caesari* i. e. Galerio.

[2]) *Terminalia* i. e. dies festus deo *Termino* sacer, 23. Febr. 303.

[3]) *Senibus ambobus* i. e. Diocletiano et Galerio.

revulsis foribus, simulacrum Dei quaeritur[1]). Scripturae repertae incenduntur, datur omnibus praeda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi[2]) vero in speculis (in alto enim constituta ecclesia ex palatio videbatur) diu inter se concertabant, utrum ignem potius supponi oporteret. Vicit sententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet. Nam multae ac magnae domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur praetoriani acie structa cum securibus et aliis ferramentis; et immissi undique fanum[3]) illud editissimum paucis horis solo adaequarunt.

XIII. Postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent ex quocunque ordine aut gradu venirent, adversus eos omnis actio caleret[4]), ipsi non de injuria, non de adul-

---

[1]) *Simulacrum Dei quaeritur* a paganis, qui putabant etiam christianos Dei habere simulacra. Factum est hoc Nicomediae.

[2]) *Ipsi*, Diocletianus et Galerius.

[3]) *Fanum*, ita vel *templum* legendum esse plures conjiciunt pro *tamen*, quod legitur in ms.

[4]) *Omnis actio*, accusatio forensis *caleret* (al. *valeret*) vim haberet.

terio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo diripuit et conscidit, cum irridens diceret victorias gothorum et sarmatarum propositas [1]). Statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus [2]), cum admirabili patientia postremo exustus est.

XIV. Sed Caesar non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimae persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cum pars quaedam conflagrasset, christiani arguebantur velut hostes publici, et cum ingenti invidia simul cum palatio christianorum nomen ardebat: illos consilio cum eunuchis habito de exstinguendis Principibus cogitasse, duos Imperatores domi suae pene vivos esse combustos. Diocletianus vero, qui

---

[1]) Haec ironia forte ita explicari posset: Gloriabantur illi principes victarum gentium titulis. Ridet ergo hic homo, quod innoxiis et inermibus christianis bellum indicerent, fortius facturi, si furorem in imperii hostes male domitos converterent.

[2]) *Legitime coctus*, scil. igne assatus in morem, in modum carnium, quae ad cibum parantur.

semper se volebat videri astutum et intelligentem, nihil potuit suspicari; sed ira inflammatus, excarnificari omnes suos protinus praecepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item judices universi, omnes denique, qui erant in palatio magistri, data potestate torquebant. Erant certantes quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam reperiebatur; quippe cum familiam Caesaris nemo torqueret. Aderat ipse, et instabat, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitus est. Id celerius animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Caesar medio hyemis profectione parata prorupit, eodem die contestans fugere se, ne vivus arderet.

XV. Furebat ergo Imperator jam non in domesticos tantum, sed in omnes, et primam omnium filiam Valeriam conjugemque Priscam sacrificio pollui coëgit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium, et ipse ante constabat[1]). Comprehensi presbyteri ac ministri, et sine ulla probatione ad

---

[1]) *Constabat*, tutus erat. — *Ministri*, diaconi. — *Ad confessionem*, forte legendum *ac confessione*, scil. damnati fuere sine ulla probatione sive ex alio-

confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus et aetatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni ambiebantur[1]); domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur. Nec minus in ceterum populum persecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur; et ne cui temere[2]) jus diceretur, arae in secretariis ac pro tribunali positae, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent; sic ergo ad judices tamquam ad deos adiretur. Etiam literae ad Maximianum[3]) atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus exspectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Constantius,

---

rum testimonio sive ex propria confessione quod essent christiani; vel *ob confessionem*. — *Deducebantur* i. e. ad supplicium.

[1]) *Ambiebantur*. Lenglet praefert *amburebantur*.

[2]) *Ne cui temere*, ne cui forte christiano jus diceretur. — *In secretariis*, in curiis judicialibus.

[3]) *Maximianus* scil. Herculius, de quo n. 8.

ne dissentire a majorum[1]) praeceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.

XVI. Vexabatur ergo universa terra, et praeter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.

Non mihi si linguae centum, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim[2]),

quae judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt. Verum quid opus est illa narrare, praecipue tibi, Donate carissime, qui praeter ceteros tempestatem turbidae persecutionis expertus es? Nam cum incidisses in Flaccinum praefectum[2]), non pusillum homicidam, deinde in Hieroclem ex vicario praesidem, qui auctor et consiliarius ad faciendam persecutionem fuit, postremo in Priscillianum successorem ejus, documentum omnibus invictae fortitudinis praebuisti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium

---

[1]) *A majorum* i. e. Augustorum.

[2]) Virgilius Aeneid. 6. v. 625 ss.

[3]) *Flaccinum praefectum* scil. Bithyniae; *Hieroclem praesidem* ejusdem provinciae.

gloriosa confessione vicisti. Novem praeliis zabulum[1]) cum satellitibus suis debellasti, novem victoriis seculum cum suis terroribus triumphasti. Quam jucundum illud spectaculum Deo fuit, cum victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimum triumphatores currui tuo subjugantem? Hic est verus triumphus, cum dominatores dominantur[2]). Victi enim tua virtute ac subjugati sunt; quandoquidem nefanda jussione contempta, omnes apparatus ac terriculas[3]) tyrannicae potestatis fide stabili et robore animi profligasti. Nihil adversus te verbera, nihil ungulae, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. Hoc est esse discipulum Dei, hoc est militem Christi, quem nullus hostis expugnet, nullus lupus de castris coelestibus rapiat, nullus laqueus inducat, nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat. Denique post illas novem gloriosissimas pugnas, quibus a te zabulus

---

[1]) *Zabulum* i. e. diabolum. Hoc nomine passim ab antiquis designatur diabolus.

[2]) *Dominantur*, significatione passiva.

[3]) *Terriculas* i. e. terrores seu terriculamenta.

victus est, non est ausus ulterius congredi tecum, quem tot proeliis expertus est non posse superari. Et cum tibi parata esset victrix corona, desiit amplius provocare, ne jam sumeres. Quam licet non acceperis in praesenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis et meritis in regno Domini reservatur. Sed redeamus ad ordinem rerum.

XVII. Hoc igitur scelere perpetrato, Diocletianus cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum kalendas Decembres. Quibus solemnibus celebratis, cum libertatem populi romani ferre non poterat, impatiens et aeger animi prorupit ex urbe impendentibus kalendis Januariis, quibus illi nonus consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare[1]) non potuit, ut Romae potius quam Ravennae procederet consul. Sed profectus hyeme, saeviente frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem ac perpetuum traxit; vexatusque per omne iter, lectica plurimum vehebatur. Sic aestate transacta, per circuitum ripae istricae[2]) Nicomediam venit,

---

[1]) *Tolerare*, exspectare.

[2]) *Ripae istricae*. Ita legendum censent plures

morbo jam gravi insurgente. Quocunque se premi videret, prolatus est tamen, ut circum, quem fecerat, dedicaret anno post vicennalia repleto. Deinde ita langore oppressus, ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus Decembribus luctus repente in palatio, moestitia et lacrymae, judicum trepidatio et silentium. Tota civitate jam non modo mortuum sed etiam sepultum dicebant, cum repente mane postridie pervagari fama quod viveret, domesticorum ac judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus, donec Caesar veniret, ne quid forte a militibus novaretur. Quae suspicio tantum valuit; ut nemo crederet eum vivere, nisi kalendis Martiis prodisset, vix agnoscendus, quippe qui anno ferre toto aegritudine tabuisset. Et ille Idibus Decembribus sopitus[1]) animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.

XVIII. Nec multis post diebus Caesar

---

viri eruditi pro *striga*, quod habet ms. *Quocunque se premi videret*, i. e. quoque cum se premi videret.

[1]) *Sopitus* i. e. deliquium passus.

advenit, non ut patri[1]) gratularetur, sed ut eum cogeret imperio cedere. Jam conflixerat nuper (cum) Maximiano sene[2]), eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum, primum molliter et amice, jam senem esse dicens, jam minus validum, et administrandae rei publicae inhabilem, debere illum requiescere post labores. Simul et exemplum Nervae proferebat, qui imperium Trajano tradidisset[3]). Ille vero ajebat et indecens esse, si post tantam sublimis fastigii claritatem in humilis vitae tenebras decidisset, et minus tutum, quod in tam longo imperio multorum sibi odia quaesisset. Nervam vero uno anno imperantem cum pondus et curam tantarum rerum vel aetate vel insolentia ferre non quiret, abjecisse gubernaculum rei publicae, atque ad privatam vitam redisse, in qua consenuerat. Verum si nomen Impe-

---

[1]) *Non ut patri*, sensu laxiori, erat enim Galerius Diocletiani gener, duxerat siquidem hujus filiam Galeriam Valeriam.

[2]) *Maximiano sene* scil. Herculio.

[3]) Haec falso a Galerio proferuntur, neque enim Trajanus a Nerva adoptatus imperavit, nisi eo demortuo. Sed facile poterat Diocletianum historiae rudem decipere.

ratoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse, quo minus omnes Augusti nuncuparentur. At ille, qui orbem totum jam spe invaserat [1]), cum sibi aut nihil praeter nomen, aut (non) multum videbat accedere, respondit debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in re publica majores, qui summam rerum teneant, item duo minores, qui sint adjumento; inter duos facile posse concordiam servari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor et extremus esset. Jam fluxisse annos quindecim (quum) in Illyricum, idest, ad ripam Danuvii relegatus cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores et quietiores terras delicate imperarent. His auditis senex languidus, qui jam et Maximiani senis literas acceperat, scribentis quaecumque locutus fuisset[2]) et didicerat augeri ab eo exercitum, lacrymabundus:

---

[1]) *Spe invaserat.* Ita legendum esse censent viri eruditi; in ms. est *ipse invenerat.* — *Aut (non) multum.* Negationem, quae deest in ms., inserendam esse suadet contextus.

[2]) *Locutus fuisset,* scil. quaecunque sibi Galerius locutus fuisset. — *Lacrymabundus.* Quoniam quod reliquum est hujus capitis, subobscurum est et per-

Diocl. Fiat, inquit, si hoc placet. Supererat ut communi consilio omnium Caesares legerentur.

Galer. Quid opus est consilio[1]), cum sit necesse illis duobus placere quicquid nos fecerimus.

D. Ita plane. Nam illorum filios nuncupari necesse est. Erat autem Maximiano [filius] Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosae ac malae mentis, adeo superbus et contumax, ut neque patrem neque socerum solitus sit adorare[2]). Et idcirco utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, sanctissimus adolescens, et illo fastigio dignissimus, qui insigni et decoro habitu corporis, et industria militari, et probis moribus, et comitate singulari, a militibus amaretur, a privatis et optaretur. Eratque tunc praesens,

---

plexum, propter loquentium personarum mutationem, cum Thoma Sparkio in dialogi formam cuncta digessimus, praefixis Diocletiani et Galerii literis nominum initialibus, ut quae alteruter dixerit, facilius innotescat. Lengletius.

[1]) *Illis duobus* scil. Maximiano Herculio Augusto et Constantio Caesari.

[2]) *Adorare*, colere eo cultus genere, qui parentibus et quidem tantis debebatur.

jam pridem a Diocletiano factus tribunus ordinis primi.

D. Quid ergo fiet?

G. Ille[1]), inquit, dignus non est. Qui enim me privatus contempsit, quid faciet cum imperium acceperit?

D. Hic vero et amabilis est, et ita imperaturus, ut patre suo melior et clementior judicetur.

G. Ita fiet, ut ego non possim facere, quae velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi meo jussu.

D. Quos ergo faciemus?

G. Severum, inquit.

D. Illumne saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die, et dies pro nocte?

G. Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter praebuit[2]), et eum misi ad Maximianum, ut ab eo induatur.

D. Esto. Alterum quem dabis?

G. Hunc, inquit, ostendens Dajam adolescentem quendam semibarbarum, quem re-

---

[1]) *Ille*, scil. Maxentius.

[2]) *Fideliter praebuit*, nimirum stipendia, annonam militarem. — *Ut induatur* scil. purpura et Caesar declaretur.

cens jusserat Maximinum vocari de suo nomine. Jam et ipsi Diocletianus nomen ex parte mutaverat ominis[1]) causa, quia Maximianus fidem summa religione praestabat.

D. Quis est hic, quem mihi offers?

G. Meus, inquit, affinis[2]).

D. At ille gemebundus: Non idoneos homines mihi das, quibus tutela rei publicae committi possit.

G. Probavi eos, inquit.

D. Tu videris, qui regimen imperii susceperus es. Ego satis laboravi, et providi quemadmodum, me imperante, res publica staret incolumis. Si quid accesserit adversi, mea culpa non erit.

XIX. Cum haec essent constituta, proceditur[3]) kalendis Majis. Constantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, et priores (f. primores) mi-

---

[1]) *Ominis* ms. *hominis*, sed hoc corrigendum in illud nonnulli censent. Dicit autem ominis causa, quia sperabat eum i. e. Galerium, sibi tam fidum futurum ac erat Maximianus, cujus nomen ipsi dabat, cognomento Herculius. — *Daja* dicebatur etiam *Daza*.

[2]) Affinis, quia Galerii sororis filius erat.

[3]) *Proceditur* i. e. ad concionem, conventum, in quo Caesares erant nominandi et constituendi. — *Nulla erat dubitatio* scil. de Constantini electione.

litum electi et acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant et vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem[1]) ad millia fere tria, in cujus summo Maximianus ipse purpuram sumpserat; et ibi columna fuerat erecta cum Jovis signo. Eo pergitur. Concio militum convocatur. Inquit senex cum lacrymis, alloquitur milites, se invalidum esse, requiem post labores petere, imperium validioribus tradere, alios Caesares subrogare. Summa omnium exspectatio quid afferret. Tunc repente pronunciat Severum et Maximinum[2]) Caesares. Obstupefiunt omnes in tribunali. Constantinus astabat susum; haesitare[3]) inter se num Constantini immutatum nomen esset, cum in conspectu omnium Maximianus manum retrorsum extendens, protraxit a tergo Dajam, Constantino repulso, et exutum vestem privatam, constituit in medium. Mirari omnes qui esset, unde esset. Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatae novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus

---

[1]) *Extra civitatem* i. e. Nicomediam. — *Maximianus ipse* i. e. Galerius.

[2]) *Maximinum* scil. Dazam.

[3]) *Haesitare*, al. *sciscitari*.

injecit suam, qua se exuit, et Diocles iterum factus est[1]). Tum descenditur; et rheda per civitatem veteranus rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daja vero sublatus nuper a pecoribus et silvis, statim scutarius[2]), continuo protector, mox tribunus, postridie Caesar, accepit orientem calcandum et conterendum; quippe qui neque militiam, neque rem publicam sciret, jam non pecorum, sed militum pastor.

XX. Maximianus, postquam senibus expulsis[3]), quod voluit et fecit (f. effecit) se jam solum totius orbis dominum esse ferebat. Nam Constantium, quamvis priorem nominari esset necesse, contemnebat, quod et natura mitis esset et valitudine corporis impeditus. Hunc sperabat brevi obiturum; et si non obisset, vel invitum exuere[4]) facile vi-

---

[1]) *Diocles iterum factus est* h. e. privatam egit vitam, ut antequam regendum suscepit imperium, nam tunc vocabatur *Diocles*. *In patriam*, Salonas in Dalmatia, cujus ruinae sunt e regione Spalatensis urbis. Spalato autem erat villa Diocletiani, in qua obiit.

[2]) *Scutarius* i. e. gregarius miles; *protector* i. e. stipator imperatoris custodiae inserviens.

[3]) *Senibus expulsis* i. e. Diocletiano et Maximiano Herculio.

[4]) *Exuere* scil. purpura.

debatur. Quid enim faceret, si a tribus cogeretur imperium deponere? Habebat ipse Licinium veteris contubernii amicum, et a prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Caesarem facere noluit, ne filium nominaret[1]), vel ut postea in Constantii locum nuncuparet Augustum atque fratrem, tunc vero ipse principatum teneret, ac pro arbitrio suo debacchatus in orbem terrae, vicennalia celebraret, ac substituto Caesare filio suo[2]), qui tunc erat novennis, et ipse deponeret: ita cum imperii summam tenerent Licinius ac Severus, et secundum Caesarum nomen Maximinus et Candidianus, inexpugnabili muro circumseptus, securam et tranquillam degeret senectutem. Hoc consilia ei ostendebant[3]). Sed Deus, quem sibi fecit infestum, cuncta illius cogitata dissolvit.

---

[1]) *Ne filium nominaret* i. e. ne Licinium veterem familiarem filium nominaret, Caesares enim ad Augustos se habebant ut filii ad patres; Augusti vero inter se ut fratres.

[2]) *Filio suo* scil. Candidiano ex concubina nato. Et ipse *deponeret* scil. imperium, ut Diocletianus et Herculius.

[3]) *Hoc consilia ei* (al. *eis*) *ostendebant.* Graevius conjicit legendum esse: *Huc consilia ejus tendebant.*

XXI. Adeptus igitur maximam potestatem, ad vexandum orbem, quem sibi patefecerat, animum intendit. Nam post devictos persas, quorum hic ritus, hic mos est, ut regibus suis in servitium se addicant, et reges populo suo tamquam familia[1]) utantur, hunc morem nefarius homo in romanam terram voluit inducere, quem ex illo tempore victoriae sine pudore laudabat. Et quia id aperte jubere non poterat, sic agebat, ut et ipse (f. reapse) libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non decuriones[2]) modo, sed primores etiam civitatum, egregii ac perfectissimi viri. Et quidem in causis levibus atque civilibus, si morte digni viderentur, cruces stabant. Sin minus, compedes parati. Matresfamilias ingenuae ac nobiles in gynecaeum[3]) rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant,

---

[1]) *Tamquam familia*, tamquam famulis, servis.

[2]) *Decuriones.* Jure civili romanorum non licebat torquere decuriones. *Egregii ac perfectissimi viri*, dignitates honorariae.

[3]) *Gynecaeum*, locus operibus muliebribus destinatus, in quem interdum poenae loco dejiciebantur et viri et foeminae. *In stabulo* non equorum, sed equuleorum.

ad quos nullus unquam servus distendi solebat. Quid lusorium[1]) vel delicias ejus referam? Habebat ursos ferociae ac magnitudinis suae simillimos, quos toto imperii sui tempore elegerat. Quotiens delectari libuerat, horum aliquem adferri nominatim[2]) jubebat. His homines non plane comedendi, sed obsorbendi objectabantur: quorum artus cum dissiparentur, ridebat suavissime; nec unquam sine humano cruore coenabat. Dignitatem non habentibus poena ignis fuit, et exsilii primo adversus christianos permiserat[3]), datis legibus, ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Qui cum deligati fuissent, subdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. De-

---

[1]) *Lusorium*, locus palatii coenationi sive triclinio subjectus, unde quoties vellet animum ludicris oblectaret.

[2]) *Nominatim*. Fortasse cuique urso nomen aliquod imposuerat tyrannus. *Sed obsorbendi*, scil. ursi lambere et sorbere sanguinem et ita corpus consumere solent.

[3]) *Et exsilii primo* etc., ita ms. Sed cum sensus sit impeditus, conjiciunt alii cum Graevio legendum esse: *id exitii* primo adversus christianos *promserat;* alii: *et haec ille* primo. — *Deligati*, idem quod ligati.

inde incensae faces et extinctae admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter haec suffundebatur facies aqua frigida, et os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus, cito spiritus redderetur, quod postremo accidebat, cum per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur. Corpora jam cremata, lecta ossa, et in pulverem comminuta jactabantur in flumine ac mare.

XXII. Quae igitur in christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat. Nulla poena penes eum levis, non insulae, non carceres, non metalla, sed ignis, crux, ferae, in illo erant quotidiana et facilia. Domestici et administratores lancea emendabantur[1]). In curia poena capitis et et animadversio gladii admodum paucis quasi beneficium deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Jam

---

[1]) *Lancea emendabantur*, lancea percussi necabantur. *In curia*, editi habent *in causa*. Significat Lactantius quomodo Galerius egerit cum viris in dignitatibus et muneribus constitutis. Hic loquitur de iis, qui erant in curia seu munera publica obibant.

illa his levia fuerant. Eloquentia exstincta, causidici sublati, jureconsulti aut relegati aut necati. Literae autem inter malas artes habitae; et qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti et exsecrati. Licentia rerum omnium, solutis legibus, assumpta et judicibus data. Judices militares, humanitatis literarum rudes, sine assessoribus in provincias immissi.

XXIII. At vero illud publicae calamitatis et communis luctus omnium fuit, census in provincias et civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis et omnia exagitantibus, hostilis tumultus, et captivitatis horrendae species erant. Agri glebatim metiebantur, vites et arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanae ac rusticae plebes adunatae, fora omnia gregibus familiarum referta, unusquisque cum liberis cum servis aderant, tormenta ac verbera personabant, filii adversus parentes suspendebantur[1]), fidelissimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos. Si omnia defecerant, ipsi contra se

---

[1]) *Suspendebantur* scil. ex equuleo ad exquirendum censum.

torquebantur[1]); et cum dolor vicerat, adscribebantur quae non habebantur. Nulla aetatis, (nulla) valetudinis excusatio. Aegri et debiles deferebantur, aestimabantur aetates singulorum; parvulis adjiciebantur anni, senibus detrahebantur[2]). Luctu et moestitia plena omnia. Quae veteres adversus victos jure belli fecerant, et (f. ea) ille adversus romanos romanisque subjectos facere ausus est; quia parentes ejus[3]) censui subjugati fuerant, quem Trajanus dacis assidue rebellantibus poenae gratia victor imposuit. Post hoc pecuniae pro capitibus pendebantur, et merces pro vita dabatur. Non tamen iisdem censitoribus fides habebatur; sed alii super alios mittebantur, tamquam plura inventuri. Et duplicabatur semper, illis non invenientibus, sed ut libuit addentibus, ne frustra missi viderentur. Interea minuebantur animalia, et

---

[1]) *Contra se torquebantur* i. e. tormentis adigebantur, ut se ipsos accusarent, dicerent aliquid, quod ipsis damni causa esset.

[2]) *Senibus detrahebantur*, ut tributum penderent, nam legibus imperatorum cautum erat, ut qui v. c. annos decem non haberent, quique plus quam sexaginta nati essent, tributum capitis solvere non tenerentur.

[3]) *Parentes ejus* i. e. majores propter matrem transdanubianam.

mortales[1]) obibant, et nihil minus solvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam nec mori saltim gratis liceret. Mendici supererant soli, a quibus nihil exigi possit, quos ab omni genere injuriae tutos miseria et infelicitas fecerat. Atqui homo impius[2]) misertus est illis, ut non egerent. Congregari omnes jussit, et exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem misericordem, qui providerit ne quis, illo imperante, miser esset. Ita dum cavit, ne quis simulatione mendicitatis censum subterfugiat, multitudinem virorum (f. verorum) miserorum contra omne jus humanitatis occidit.

XXIV. Jam propinquavit illi judicium Dei, secutumque tempus est, quo res ejus dilabi ac fluere coeperunt. Nondum animum intenderat ad evertendum pellendumve Constantium, dum est occupatus his rebus, quas superius exposui, et exspectabat obitum ejus; sed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cum graviter laboraret, miserat literas, ut filium suum Constantinum remitteret sibi videndum, et quidem jamdudum[3]). Ille vero

---

[1]) *Mortales* i. e. homines.

[2]) *Impius.* Nonnulli mallent legere *pius* ironice, sicut mox, hominem *misericordem.*

[3]) *Et quidem jamdudum.* In ms. *quem jamdudum.*

nihil minus volebat. Nam et in insidiis saepe juvenem appetiverat; quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilia et, quod maxime verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitii ac lusus feris illum objecerat, sed frustra; quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine[1]). Namque saepius (rogatus), cum jam diutius negare non posset, dedit illi sigillum, inclinante jam die, praecepitque ut postridie mane, acceptis mandatis, proficisceretur, vel ipse illum occasione aliqua retentaturus, vel praemissurus literas, ut a Severo teneretur. Quae cum ille prospiceret, quiescente jam Imperatore, post coenam properavit exire, sublatisque[2]) per mansiones multas omnibus

---

Supplent plerique verba, *frustra repetierat*. Sed Lenglet leviori mutatione maluit reponere pro *quem* vocem *quidem*, quam addere illa verba, cum nulla sit in ms. lacuna; mox pro *diu necare* ut habet ms., *diutius negare* legendum censent eruditi.

[1]) *In ipso cardine*, i. e. in ipso discrimine, in ipso periculi momento. Mox videtur supplendum *rogatus* vel *petitum* scil. *sigillum*, quo nomine designatur diploma sive licentia scripto sigilloque confirmata publici cursus accipiendi. *Acceptis mandatis* ab ipso Galerio forte, ut ad patrem illa deferret.

[2]) *Sublatis*. Zosimus in l. 2. narrat, Constan-

equis publicis, evolavit. Postridie Imperator, cum consulto ad medium diem usque dormisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post coenam statim profectus. Indignari ac fremere coepit. Poscebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nunciatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate usus, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei, militibus commendato, imperium per manus tradidit; atque ita in lecto suo requiem vitae, sicut optabat, accepit. Suscepto imperio, Constantinus Augustus nihil egit prius, quam christianos cultui ac Deo suo reddere. Haec fuit prima ejus sanctio sanctae religionis restitutae.

XXV. Paucis post diebus laureata imago [1]) ejus adlata est ad malam bestiam. Delibe-

---

tinum veritum ne forte fugiens apprehenderetur, equos stabularios, quos respublica alebat, cum primum aliquod stabulum attigisset, mutilasse et inutiles reliquisse, cumque id de loco in locum pergens faceret, exclusisse ab ulteriore progressione persequentes. Hinc quia omnes equos sustulerat Constantinus nunciabatur Galerio *cursum publicum* esse *nudatum*, scil. deesse equos in mansionibus ad insequendum Constantinum.

[1]) *Laureata imago*, Caesaris insignibus ornata; *ejus*, Constantini.

ravit diu an susciperet. In eo pene res fuit, ut illam, et ipsum qui attulerat, exureret, nisi eum amici ab illo furore flexissent, admonentes eum periculi, quod universi milites, quibus invitis, ignoti Caesares erant facti, suscepturi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summa, si venisset armatus. Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi purpuram misit, ut ultro ascivisse illum in societatem videretur. Jam turbatae rationes ejus fuerant, nec poterat alterum extra numerum[1]) nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat aetate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum vero non Imperatorem, sicut erat factus, sed Caesarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.

XXVI. Compositae ei res quodam modo jam videbantur, cum subito illi alius terror adlatus est, generum ipsius Maxentium Romae factum Imperatorem. Cujus motus haec fuit causa. Cum statuisset censibus in-

---

[1]) *Extra numerum* i. e. praeter quatuor, ne mutaret Diocletiani dispositionem, quam ipse tantopere dixerat debere custodiri supra n. 18. Volebat autem Licinium Augustum nominare, ut patet ex n. 20.

stitutis orbem terrae devorare, ad hanc usque prosiluit insaniam, ut ab hac captivitate ne populum quidem romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam censitores, qui Romam missi describerent plebem. Eodem fere tempore castra quoque praetoria sustulerat. Itaque milites pauci, qui Romae in castris relicti erant, opportunitatem nacti, occisis quibusdam judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuncio allato, aliquantum rei novitate turbatus est, nec tamen nimium territus. Et oderat hominem, et tres Caesares facere non poterat. Satis visum est semel fecisse, quod noluit[1]). Severum arcessit, hortatus ad recipiendum imperium, mittit eum cum exercitu Maximiani[2]) ad expugnandum Maxentium, et mittit Romam, in qua milites illi, summis deliciis saepissime excepti, non modo salvam esse illam urbem, sed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris[3]) sibi conscius, licet

---

[1]) *Semel fecisse, quod noluit*, cum invitus Constantinum pro Caesare habuit.

[2]) *Maximiani* i. e. Herculii.

[3]) *Tanti facinoris* i. e. usurpati imperii; *jure hereditatis*, erat enim filius Maximiani Herculii, qui quondam Italiae imperium tenuerat.

jure hereditatis paternos milites traducere ad se posset, cogitans tamen fieri posse, ut Maximianus[1]) socer, idipsum metuens, Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret, quaerebat quatenus se a periculo impendente muniret. Patri suo post depositum imperium in Campania moranti purpuram mittit, et bis Augustum nominat. Ille vero et rerum novarum cupidus, et qui deposuerat invitus, libenter arripuit. Severus interim vadit, et ad muros urbis armatus accedit. Statim milites sublatis signis abeunt, et se contra quem venerant tradunt. Quid restabat deserto nisi fuga? Sed occurrebat jam resumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique se cum paucis militibus inclusit. Qui cum videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit sese ipse, vestemque purpuream eidem, a quo acceperat, reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit, nisi bonam mortem. Nam venis ejus incisis, leniter mori coactus est; ab hoc coepit suos persequi[2]).

---

[1]) *Maximianus* Galerius, cujus filiam Maxentius duxerat.

[2]) *Ab hoc coepit*, ms. *ab hoc capite*, scil. modo coepit Galerius suos, Maxentium in primis, persequi.

XXVII. Herculius vero cum Maximiani[1]) nosset insaniam, cogitare coepit, illum audita nece Severi inflammatum ira cum exercitu esse venturum, et fortasse adjuncto Maximino ac duplicatis copiis, quibus resisti nullo modo posset, urbe munita et rebus coeptis inimicis diligenter instructis[2]), proficiscitur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret suae minoris filiae nuptiis. Ille[3]) interea coacto exercitu, invadit Italiam, ad Urbem accedit, senatum exstincturus, populum trucidaturus. Verum clausa et munita omnia offendit. Nulla erat spes irrumpendi, oppugnatio difficilis, ad circumsedenda moenia non satis copiarum; quippe qui nunquam viderat Romam, aestimaretque illam non multo esse majorem, quam quas noverat civitates. Tunc quaedam legiones detestantes scelus, quod socer generum oppugnaret, et quod romani milites

---

[1]) *Maximiani* scil. Galerii.

[2]) *Et rebus coeptis inimicis.* Locus subobscurus. Conjicit Bünemann legendum esse *rebus et copiis*, scil. postquam urbem omnibus, quae ad illius defensionem necessaria erant, instruxerat. Alii nulla facta mutatione putant sensum esse, postquam ipso opere ostenderat omnia vergere ad bellum.

[3]) *Ille* i. e. Galerius.

Romam, translatis signis, imperium reliquerunt[1]). Et jam ceteri milites nutabant, cum ille fracta superbia, dimissisque (f. demissisque) animis, Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus, orabat ne hosti traderetur, donec promissis ingentibus flexit animos eorum, et retro signa convertit, ac fugam trepidus capessivit; in qua opprimi facillime potuit, si cum paucis quispiam sequeretur. Quod cum timeret, dedit militibus potestatem, ut dispersi quam latissime diriperent omnia vel corrumperent; ut si quis insequi voluisset, utensilia[2]) non haberet. Vastata est igitur ea pars Italiae, quo pestiferum illud agmen incessit, expilata omnia, mulieres corruptae, virgines violatae, extorti parentes et mariti, ut filias, ut conjuges, ut opes suas proderent. Abactae tamquam de barbaris praedae pecorum ac jumentorum. Hoc modo se ad sedes suas recepit, cum romanus quondam Imperator, nunc populator Italiae, hostiliter universa vexasset. Olim quidem ille, ut nomen Impe-

---

[1]) *Imperium reliquerunt* scil. Galerii ad hostes transeuntes.

[2]) *Utensilia*, scil. sunt cibaria aliaque ad victum necessaria.

ratoris acceperat, hostem se romani nominis erat professus, cujus titulum immutari volebat; ut non romanum imperium, sed daciscum [1]) cognominaretur.

XXVIII. Post hujus fugam, cum se Maximianus alter e Gallia recepisset, habebat imperium commune cum filio. Sed juveni magis parebatur, quam seni, quippe cum prior et major filii potestas (esset), qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo senex, quod non posset libere facere quod vellet, et filio suo puerili aemulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adolescentem, ut sibi sua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant[2]), qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quasi concionem de praesentibus reipublicae malis habiturus. De quibus cum multa dixisset, convertit ad filium manus, et illum esse dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum, quas res publica sustineret, diripuit ab humeris ejus purpuram.

---

[1]) *Daciscum*, quia ipse ex Dacia erat oriundus.

[2]) *Quia milites erant;* nonnulli addunt *sui*, sed necesse non est; sensus enim videtur: Facile ipsi videbatur hoc negotium, quod milites filii sui (Maxentii) prompti erant ad proditionem, cum jam alias a Severo defecerint.

Exutus ille praecipitem se de tribunali dedit, et a militibus exceptus est. Quorum ira et clamore perturbatus est senex impius, et ab urbe Roma tamquam Superbus alter[1]) exactus est.

XXIX. Rediens rursus in Gallias, ubi aliquantum moratus est, profectus ad hostem filii sui Maximianum[2]), quasi ut de componendo reipublicae statu cum eo disputaret, re autem vera ut illum per occasionem reconciliationis occideret, ac regnum ejus teneret, exclusus a suo, quocunque venisset. Aderat ibi Diocles, a genero nuper accitus, ut quod ante non fecerat, praesente illo, imperium Licinio daret, substituto in Severi loco. Itaque fit utroque praesente. Sic uno tempore sex[3]) fuerunt. Quare impeditis consiliis senex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur, redit in Galliam plenus malae cogitationis ac sceleris, ut Constantinum Imperatorem generum suum, generi

---

[1]) *Superbus alter*, nam Tarquinius Superbus ultimus romanorum rex expulsus fuit.

[2]) *Maximianum* i. e. Galerium, qui, ut supra narraverat, Maxentium bello est aggressus.

[3]) *Sex fuerunt.* Aliqui mallent legere *praefuerunt* reipublicae scil., nempe Herculius, Galerius, Maximinus Daza, Constantinus, Maxentius et Licinius.

filium [1]), dolo malo circumveniret; et ut posset fallere, deponit regiam vestem. Francorum gens in armis erat. Persuadet nihil suspicanti, ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse barbaros debellari, ut et ipse haberet exercitum, quem occuparet, et ille opprimi posset ob militum paucitatem. Credit adolescens, ut perito ac seni, paret ut socero, proficiscitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus exspectatis, cum jam Constantinum aestimaret intrasse fines barbarorum, repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat ut solet large, fingit de Constantino, quae in ipsum protinus reciderunt. Imperatori propere quae gesta sunt, nunciantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviso, nondum satis instructus; milites ad Imperatorem suum redeunt. Occupaverat Massiliam, et portas obseraverat. Accedit propius Imperator, et in muro adstantem alloquitur, non aspere, nec hostiliter; sed rogat quid sibi voluisset, quid

---

1) *Generi filium* Constantii Chlori, cui Flavia Maximiana Theodora ejusdem Herculii privigna, nupserat. Ideo Constantius ducta privigna habetur vitrici gener. Toinard.

ei defuisset, cur faceret quod ipsum praecipue non deceret. Ille vero ingerebat maledicta de muris. Tum subito a tergo ejus portae reserantur, milites recipiuntur. Attrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius[1]), socer perfidus. Audit scelera quae fecit, detrahitur ei vestis, et increpito vita donatur.

XXX. Sic amisso Imperatoris ac soceri honore, humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est; quia semel habuit impune, vocat filiam Faustam, eamque nunc precibus nunc blandimentis sollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit cubiculum patens relinqui, et negligentius custodiri sinat. Pollicetur illa facturam, et refert protinus ad maritum. Componitur scena, qua manifesto facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempesta, videt omnia insidiis opportuna. Rari excubitores erant, et ii quidem longius; quibus tamen dicit vidisse somnium, quod filio suo narrare vellet. In-

[1]) *Pater impius. Pater* erat Faustae, uxoris Constantini; *impius* quia inhumanus. *Detrahitur ei vestis,* imperatoria scil.

greditur armatus, et spadone obtruncato, prosiliit gloriabundus, ac profitetur quod admiserit. Repente se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur e cubiculo cadaver occisi, haeret manifestarius homicida, et mutus stupet quasi

Dura silex, aut stet Marpesia cautis,

impietatis ac sceleris increpatur. Postremo datur ei potestas liberae mortis,

Ac nodum informis leti trabe nectit ab alta[1]).

Ita ille romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliso et fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi et ignominiosa morte finivit.

XXXI. Ab hoc Deus, religionis ac populi sui vindex, oculos ad Maximianum alterum transtulit, nefandae persecutionis auctorem, ut in eo etiam virtutem majestatis ostenderet. Jam de agendis et ipse vicennalibus cogitabat et ut qui jamdudum provincias afflixerat auri argentique indictionibus factis,

---

[1]) Leguntur hi versus apud Virgilium Aeneid. l. 6. v. 471; l. 12. v. 603.

quae promiserat redderet, etiam in nomine vicennalium[1]) securem alteram afflixit. Qua vexatione generis humani exactio celebrata sit, maxime rei annonariae, ecquis enarrare digne potest? Officiorum omnium milites, vel potius carnifices, singulis adhaerebant, cui prius satisfieret incertum, venia non habentibus nulla; sustinendi multiplices cruciatus[2]), nisi exhiberetur statim, quod non erat; multis custodiis circumsepto nulla respirandi facultas, nullo tempore anni vel exigua requies, frequens super iisdem hominibus, vel ipsis judicibus vel militibus judicum pugna, nulla area sine exactore, nulla vindemia sine custode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quae quamquam intolerabilia sint[3]),

---

[1]) *Etiam in nomine vicennalium.* Bünemann legit *etiam nomine* i. e. praetextu, sub obtentu vicennalium, *securem* vulnus, plagam *alteram afflixit* f. *infixit.*

[2]) *Venia non habentibus* etc. Locus in ms. corruptus; legitur enim: *Veniam non habentibus nullas abstinendi multiplicis cruciatus*, quae nullum praebent sensum. Levi autem hac mutatione facta eximium exhibet sensum. *Non habentibus* scil. quod solverent. *Nisi exhiberent statim* vectigal, cui solvendo pares non erant.

[3]) *Quae quamquam intolerabilia sint*, in ms. *quae quam tolerabilia sint*, pravo sensu.

eripi ab ore hominum cibos labore quaesitos, tamen sustentabile aliquo modo vel spe futurorum. Quid vestis omnis generis, quid aurum, quid argentum? Nonne haec necesse est ex venditis fructibus comparari? Unde igitur hoc, o dementissime tyranne, praestabo, cum omnes fructus auferas, universa nascentia violenter eripias? Quis ergo non bonis suis eversus est, ut opes, quae sub imperio ejus fuerunt, conraderentur ad votum [1]), quod non erat celebraturus?

XXXII. Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Caesarem se, nec tertio loco nominari volebat. Mittit [2]) ergo ad eum saepe legatos, orat sibi pareat, dispositionem suam servet, cedat aetati, et honorem deferat canis. At ille tollit audacius cornua, et praescriptione temporis pugnat se priorem esse debere, qui prior sumpserit purpuram, preces ejus et mandata contempsit. Dolet bestia et mugit, quod eum (*al.* cum) ideo ignobilem fecisset Caesarem,

---

[1]) *Ad votum.* Sic vocabant festa, in quibus vota concipiebantur pro incolumitate et diuturna principum vita; atque sicut vicennalia celebrabant, sic deos exorabant, ut tribuerent pariter eorum tricennalia celebrari. Baluzius.

[2]) *Mittit* scil. Galerius.

ut sibi obsequens esset; is tamen tanti beneficii sui oblitus, voluntati ac precibus suis impie repugnaret. Victus contumacia, tollit Caesarum nomen, et se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium[1]) et Constantinum filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit, quasi nuncians in campo Martio proxime celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille moestus ac dolens, et universos quatuor Imperatores jubet numerari.

XXXIII. Jam decimus et octavus annus agebatur, cum percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant. Sed inductam jam cicatricem scindit vulnus, et rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura.

---

[1]) *Maxentium.* Merito conjicit Baluzius *Maximinum* legendum esse, non *Maxentium*. Hunc enim ut hostem publicum odio prosequebatur Galerius, ut ejus in hac dispositione nullam haberet rationem; neque poterat praeterire Maximinum, qui hujus mutationis exstitit causa: hinc etiam infra quatuor tantum numerantur (aliqui conjiciunt legendum esse infra *nominari* pro *numerari)* imperatores scil. praeter ipsum Galerium Licinius, Constantinus et Maximinus.

Tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motione vulneratur, plus sanguinis quam ante decurrit. Albescit[1]) ipse, atque absumptis viribus tenuatur; et tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam, proxima quaeque cancer invadit, et quanto magis circum secatur, latius saevit; quanto curatur, increscit.

Cessere magistri
Phyllirides Chiron Amythaoniusque Melampus[2]).

Undique medici nobiles trahuntur. Nihil humanae manus promovent. Confugitur ad idola. Apollo et Asclepius orantur, remedium flagitatur. Dat Apollo curam[3]). Malum multo pejus augetur. Jam non longe pernicies aberat, et inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, et in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare. Repercussis medullis[4]), ma-

---

[1]) *Albescit* i. e. pallescit: *tenuatur*, pinguedo evanescit.

[2]) Virgilius Georg. l. 3. v. 549.

[3]) *Dat Apollo curam*, docet remedium.

[4]) *Repercussis medullis*, forte idem quod *affectis medullis*, vel legendum est, *repercussum medelis* (seu medecinis) *malum recidit introrsus*, interiora invadit.

lum recidit introrsus, et interna comprehendit, vermes intus creantur. Odor teter non modo per palatium, sed totam civitatem pervadit. Nec mirum, cum jam confusi essent exitus stercoris et urinae. Comestur[1]) a vermibus, et in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur.

> Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
> Quales mugitus fingit saucius taurus[2]).

Apponebantur ad sedem fluentem cocta et calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis[3]), inaestimabile scatebat examen[4]); et tamen multo majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies fecunda generaverat. Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, et miserabili macie cutis lurida longe inter ossa consederat. Inferior, sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata

---

[1]) *Comestur* i. e. comeditur. Alii legunt *comestum*, ms. *comestus*.

[2]) Virgilius Aeneid. l. 2. v. 222 s., ubi tamen ultima verba sic habent *fugit cum saucius aram taurus*.

[3]) *Queis resolutis*, quibus remotis, alligabantur enim vulneribus.

[4]) *Examen*, vermiculorum multitudo ingens. *Tabescendorum*. Ita ms., conjiciunt tamen viri eruditi legendum esse *tabescentium* vel *tabe exesorum*.

discreverat[1]). Et haec facta sunt per annum perpetem, cum tandem malis domitus, Deum coactus est confiteri, novi doloris urgentis[2]) per intervalla exclamat se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens, edictum misit hujusmodi:

XXXIV. „Inter cetera, quae pro reipublicae semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac juxta leges veteres et publicam disciplinam romanorum cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem quadam ratione tanta eosdem christianos voluntas invasisset, et tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur, quae forsitan primum parentes eorundem constituerant, sed pro arbitrio suo, atque ut iisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent, quas observarent, et per diversa varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi nostra

---

[1]) *Discreverat* a *discresco*, rarum verbum; significat *intumescendo dilatari*. Conjiciunt nonnulli legendum esse *increverat*. — *Perpetem*, integrum, totum.

[2]) *Novi doloris urgentis*. Ita ms. Heumann vero emendat: *Nam vi doloris urgente*.

jussio exstitisset, ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt; atque cum plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec christianorum Deum observare, contemplatione mitissimae nostrae clementiae intuentes et consuetudinem sempiternam, qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam; ut denuo sint christiani et conventicula sua componant[1]), ita ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola judicibus significaturi sumus, quid debent observare. Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, et reipublicae, ac sua, ut undique versum res publica perstet incolumis, et securi vivere in sedibus suis possint."

XXXV. Hoc edictum proponitur Nicomediae pridie kalendas Majas, ipso octies et Maximino iterum consulibus[2]). Tunc apertis

---

[1]) *Componant*, vel de loco id intelligendum, ut iterum ecclesias aedificent, vel de ipsis coetibus, ut iterum in unum convenire possint.

[2]) Anno Christi 311.

carceribus, Donate carissime, cum ceteris confessoribus e custodia liberatus es, cum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit a Deo: sed post dies paucos, commendatis Licinio conjuge sua, et filio, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumptus est. Idque cognitum Nicomediae Idibus[1]) mensis ejusdem, cum futura essent vicennalia kalendis Martiis impendentibus.

XXXVI. Quo nuncio Maximinus audito, dispositis ab oriente cursibus pervolavit, ut provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia sibi usque ad fretum Chalcedonium[2]) vindicaret. Ingressusque Bithyniam, quo sibi ad praesens favorem conciliaret, cum magna omnium laetitia sustollit censum. Discordia inter ambos Imperatores, ac pene bellum. Diversas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax et amicitia componitur, et in ipso freto foedus fit, ac dexterae

---

[1]) *Idibus mensis ejusdem.* In ms. ante vocem *mensis* aliquid excidit, quod supplent eruditi inserendo *idibus* vel *medio.* — *Kalendis Martii impendentibus* scil. anni sequentis 312.

[2]) *Fretum chalcedonium* i. e. Bosphorum thracium, cui adjacet in Bithynia Chalcedon.

copulantur. Redit ille[1]) securus, et fit qualis in Syria et in Aegypto fuit. In primis indulgentiam christianis communi titulo datam tollit, subornatis legationibus civitatum, quae peterent ne intra civitates suas christianis conventicula exstruere liceret, ut quasi coactus et impulsus facere videretur, quod erat sponte facturus. Quibus annuens, novo more sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex primoribus fecit, qui et sacrificia per omnes deos suos[2]) quotidie facerent, et veterum sacerdotum ministerio subnixi, darent operam (ut) christiani neque fabricarent, neque publice aut privatim colerent (*f.* coirent), sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret, et eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere. Facere autem parabat, quae jamdudum in orientis partibus fecerat. Nam cum

[1]) *Redit ille* scil. Maximinus. *Communi titulo* vel *tutela* (in ms. corrupte *tutelo*), nam constitutio Galerii pro more tum recepto inscripta erat nominibus Galerii, Maximini, Licinii et Constantini. — *Quasi* al. *suasu.*

[2]) *Per omnes deos suos* i. e. per omnia deorum suorum templa vel singulis diis.

clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari[1]) jussit. Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculae desecabantur.

XXXVII. Haec ille moliens, Constantini literis deterretur. Dissimulavit ergo. Et tamen si quis inciderat, mari occulte mergebatur. Consuetudinem quoque suam non intermisit, ut in palatio per singulos dies sacrificaretur. Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia, quibus vescebatur, non a coquis, sed a sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorsus mensae apponeretur, nisi aut delibatum[2]), aut sacrificatum, aut perfusum mero; ut quisquis ad coenam vocatus esset, inquinatus inde, atque impurus exiret. In ceteris quoque magistri sui similis. Nam si quid reliqui vel Diocles vel Maximianus reliquerunt, hic abrasit, sine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecae[3]) obsi-

---

[1]) *Debilitari* i. e. mutilari.

[2]) *Delibatum*, cujus pars diis libata fuerat; *aut sacrificatum*, quod esset pars victimae diis oblatae; *aut perfusum mero* alio ritu sat communi diis consecratum et quasi sanctificatum seu potius pollutum.

[3]) *Apothecae* i. e. cellae vinariae *obsignabantur*,

gnabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames agris ferentibus, hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia quotidiana, quibus eos adeo corruperat[1]), ut aspernarentur annonam, et effundebant passim sine delectu, sine modo, cum satellites universos, quorum numerus ingens erat, pretiosis vestibus, et aureis nummis expungeret, gregariis et tyronibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quod viventium bona vel auferebat, vel dono suis dabat, (prout) quisque petierat aliena, nescio an (non) agendas illi fuisse gratias putem, quod more clementium latronum incruenta[2]) spolia detrahebat.

---

ut tantum imperatori paterent, ejus commodo inservirent. *Debita*, tributa et vectigalia praescripta. *Agris ferentibus*. Alii legunt *agris feriantibus*, vel inserunt particulam *non*, agris *non* ferentibus; sed nihil mutandum: sensus est, etiamsi agri fructus ferrent, erat tamen caritas, fames inaudita.

[1]) *Quibus eos adeo corruperat.* Haec et sequentia in ms. corrupta sunt, hinc variae conjecturae. Praeferenda ea videtur, quae ita legit: *Quibus aulicos adeo corruperat.* — *Expungeret*, remuneraretur, excoleret.

[2]) *More clementium latronum incruenta spolia*, more latronum, qui clementes videntur, quando aliquem bonis spoliant salva ejus vita.

XXXVIII. Illud vero capitale, et supra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, quid dicam nescio, nisi coeca et effrenata, et tamen his verbis exprimi pro indignatione sua non potest. Vincit officium linguae sceleris magnitudo. Eunuchi, lenones scrutabantur omnia. Ubicunque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus feminis vestes, itemque virginibus, et per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detrectaverat, in aqua necabatur, tamquam majestatis crimen esset sub illo adultero pudicitia. Aliqui constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, cum dolorem ferre non possent, se ipsos etiam necaverunt. Sub hoc monstro pudicitiae integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Postremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret; ut ipse in omnibus nuptiis praegustator esset. Ingenuas virgines imminutas [1]) servis suis donabat uxores. Sed et comites ejus sub tali principe imitabantur (et domesticorum)

---

[1]) *Imminutas*, violatas, corruptas. Mox lacuna ms. explenda est ita: *et domesticorum* vel simili modo.

suorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium filias, ut cuique libuerat, rapiebat. Primariae, quae rapi non poterant, in beneficiis[1]) petebantur; nec recusari (recusare) licebat, subscribente Imperatore, quin aut pereundum esset, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam fere nullus stipator in latere ei, nisi ex gente horum, qui a gothis tempore vicennalium terris suis pulsi, Maximiano se tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram servitutem fugientes, in romanos dominarentur. His satellitibus et protectoribus[2]) cinctus orientem ludibrio habuit.

XXXIX. Denique cum libidinibus suis hanc legem dedisset, ut fas putaret quidquid concupisset, ne ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat matrem[3]), potuit temperare. Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, cum se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime quod habebat uxorem. Sed animal nefarium proti-

---

[1]) *In beneficiis*, tamquam remuneratio.

[2]) *Protectoribus* i. e. corporis custodibus.

[3]) *Matrem.* Propter Maximini adoptionem a Maximiano Galerio factam, cujus uxor et vidua erat Valeria.

nus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis primis [1]) in matrimonio postulat, ejecturus uxorem, si impetrasset. Respondit illa libere, quae sola poterat, primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui, patris ejus: deinde illum impie facere, quod sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus et sibi; postremo, nefas esse illius nominis ac loci feminam [2]) sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nunciatur homini quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exsilium relegat, nec in locum certum, sed huc atque illuc praecipitem cum ludibrio exturbat, et amicas ejus afficto adulterio damnat.

XL. Erat clarissima femina, cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tamquam matrem alteram diligebat, cujus consilio negatam sibi suspicatur. Dat negotium praesidi Eratineo, ut eam cum dede-

---

[1]) *Legatis primis* i. e. per primos jam legatos. Alii emendant ms. et legunt *praemissis legatis.*

[2]) *Illius nominis ac loci feminam* scil. Augustam.

core interficiat. Huic aliae duae adjunguntur, aeque nobiles, quarum altera vestalem famulam virginem Romae reliquerat, furtive tunc Valeriae familiaris. Altera virum habuit senatorem, non nimis (*f.* minus) Augustae proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur subito mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium. Nec enim quisquam accusator extabat. Invenitur quidam judaeus ob alia facinora reus, qui spe impunitatis inductus adversus insontes mentiatur. Judex aequus et diligens [1]) extra civitatem cum praesidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur haec tragoedia Nicaeae. Irrogantur tormenta judaeo, dum quae jussus (erat diceret, hae ne) [2]) loquerentur, pugnis a tortoribus coercentur. Innocentes duci jubentur. Fletus et comploratio non illius tantum mariti, qui aderat bene meritae

---

[1]) *Judex aequus et diligens.* Ironice dicta. *Protulit* scil. judicium, vel forte legendum *producit* scil. has feminas.

[2]) In ms. quatuordecim hic desunt literae. Ad sensum supplendum conjiciunt haud immerito nonnulli inserenda esse haec verba: *erat diceret, hae* (vel *mulieres*) *ne. Innocentes duci* scil. ad supplicium *jubentur.*

uxori, sed omnium, quos res indigna et inaudita contraxerat [1]). Ac ne impetu populi de carnificum manibus raperentur, promoti militari modo [2]) instructi velites et sagittarii prosequuntur. Ita mediae inter cuneos armatorum ad supplicium deductae. Jacuissentque insepultae, domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur; sed patibulo affixus, aperuit omne mysterium, et sub extremo spiritu omnibus [3]), qui videbant, innocentes occisas esse testatur.

XLI. Augusta vero in desertas quasdam solitudines Syriae relegata, patrem suum Diocletianum per occultos gnarum calamitatis suae fecit. Mittit ille legatos et rogat, ut ad se filiam remittat. Nihil proficit. Ite-

---

[1]) *Contraxerat*, attraxerat ad spectaculum.

[2]) *Militari modo.* Quae sequuntur plane corrupta sunt in ms., quod alii ita emendant: *promoti militari modo instructi pilo et ense et sagittarii prosequuntur*; alii aliter. Sensus est, praecessisse velites, subsecutos esse sagittarios.

[3]) *Sub extremo spiritu omnibus.* In ms. legitur: sub extremo spiritu *in quod* omnibus. Quae cum nullum fundant sensum, iis vero omissis sensus sit planus, ea expunximus.

rum ac saepius obsecrat. Non remittitur. Postremo cognatum suum quendam militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum suorum admonitum deprecetur. Is quoque imperfecta legatione, irritas preces renunciat.

XLII. Eodemque tempore senis Maximiani statuae Constantini jussu revellebantur, et imagines, cum quoque pictus esset[1]), detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerumque picti erant, et imagines simul deponebantur amborum. Itaque cum videret vivus, quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici aegritudine adfectus, moriendum sibi esse decrevit. Jactabat se huc atque illuc, aestuante anima per dolorem, nec somnum nec cibum capiens. Suspiria et gemitus, crebrae lacrymae, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus Imperator, ad humilem vitam dejectus adeo, et proculcatus injuriis, atque in odium vitae dejectus (*al.* deductus), postremo fame atque angore confectus est.

---

[1]) *Cum quoque pictus esset*, al. *cum quo* pictus esset. — *Senes ambo* scil. Diocletianus et Maximianus Herculius. *Cum videret vivus* nempe Diocletianus, qui adhuc vivebat. — *Duplici aegritudine*

XLIII. Unus[1]) jam supererat de adversariis Dei, cujus nunc exitum ruinamque subnectam. Cum haberet aemulationem adversus Licinium, quia praelatus ei a Maximiano fuerat, licet nuper cum eo amicitiam confirmasset, tamen ut audivit Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit affinitatem illam duorum Imperatorum contra se copulari. Et ipse legatos ad urbem[2]) misit occulte, societatem Maxentii atque amicitiam postulatum. Scribit etiam familiariter. Recipiuntur legati benigne, fit amicitia, utriusque imagines simul locantur. Maxentius tamquam divinum auxilium libenter amplectitur. Jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus. Unde suspicio inciderat senem illum implacabilem[3]) finxisse discordiam cum

---

scil. ob contumeliam tum sibi tum filiae (n. 39. ss.) illatam.

[1]) *Unus* nimirum Maximinus, qui praefuit Orienti et cujus scelera narraverat n. 36. ss. — *A Maximiano* scil. Galerio.

[2]) *Ad Urbem* i. e. Romam, ubi imperabat Maxentius.

[3]) *Implacabilem*, al. *inexpiabilem*, *detestabilem* (referentes hoc appositum ad senem i. e. Herculium), *tam exitiabilem*. *Ad alios* scil. imperatores *succidendos*, detrudendos, dejiciendos.

filio, ut ad alios succidendos viam sibi faceret, quibus omnibus sublatis, sibi ac filio totius orbis imperium vindicaret. Sed id falsum fuit. Nam id propositi habebat, ut et filio et ceteris exstinctis, se ac Diocletianum restitueret in regnum.

XLIV. Jam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis se Maxentius Romae contineret, quod responsum acceperat[1]) periturum esse, si extra portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quod et patris sui exercitum receperat a Severo, et suum proprium de Mauris atque Italis (*al.* Getulis) nuper extraxerat. Dimicatum, et Maxentiani milites praevalebant, donec postea confirmato animo Constantinus et ad utrumque paratus, copias omnes ad urbem propius admovit, et e regione pontis Milvii consedit. Imminebat dies, quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad sextum kalendas Novembris, et quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus, ut coeleste signum Dei notaret in scutis, atque ita praelium committeret. Fecit ut jussus est, et transversa X litera summo capite circum-

---

[1]) *Quod responsum acceperat* scil. ab oracule.

flexo Christum in scutis notat[1]). Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore, pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summa vi utrinque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in urbe seditio, et dux[2]) increpitatur, velut desertor salutis publicae; tumque repente populus (Circenses enim natali suo edebat) voce subclamat, Constantinum vinci non posse. Qua voce consternatus proripit se, ac vocatis quibusdam senatoribus, libros Sibyllinos inspici jubet, in quibus repertum est, illo die hostem romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriae inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus scinditur. Eo viso pugna crudescit, et manus Dei supererat aciei. Maxentianus[3]) proterretur;

---

[1]) *Et transversa* etc. scil. scutis impressit hoc signum X literam *P* in se gestans, quae sunt literae initiales nominis *Χριστός*. Illud pariter imposuit vexillo *Labarum* dicto. — *Sine imperatore*, nam Maxentius propter oraculi responsum Roma egressus non est. Verba, quae mox sequuntur: *Neque his fuga nota, neque illis* sunt ex Virgilii Aeneid. l. 10. v. 757.

[2]) *Et dux* scil. Maxentius. *Natali suo*, die anniversaria provectionis suae ad imperium.

[3]) *Maxentianus* supple *miles*, nisi legendum sit *Maxentius*, *proterretur* terrore correpto fugatur.

ipse in fugam versus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus, in Tyberim deturbatur. Confecto tandem acerbissimo bello, cum magna senatus populique romani laetitia susceptus Imperator Constantinus, Maximini perfidiam cognoscit, literas deprehendit, statuas et imagines invenit. Senatus Constantino virtutis gratia primi nominis titulum [1]) decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat; ad quem victoria liberatae urbis cum fuisset adlata, non aliter accepit, quam si ipse victus esset. Cognito deinde senatus decreto, sic exarsit dolore, ut inimicitias aperte profiteretur, convicia jocis mixta adversus Imperatorem maximum diceret.

XLV. Constantinus rebus in urbe compositis, hyeme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit, ut acciperet

---

1) *Primi nominis titulum.* Post mortem Galerii Maximinus, quia prior Caesar, quamquam postremo Augustus fuerat, primas sibi in titulis atque honoribus inter ejus temporis Augustos vindicabat, ait Eusebius hist. eccl. l. 9. c. 10. Jam vero senatus decrevit, ut primus Augustorum Constantinus esset. Cellarius. Infra dicitur ratione hujus decreti a Maximino per jocum *imperator maximus.* Talis autem revera erat, quia praeter provincias transal-

uxorem [1]). Maximinus ubi eos intellexit nuptiarum solemnibus occupatos, exercitum movit e Syria, hyeme quam cum maxime saeviente, et mansionibus geminatis [2]) in Bithyniam concurrit, debilitato agmine. Nam maximis imbribus, et nivibus, et luto, et frigore, et labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages speciem jam futuri belli, et similem cladem militibus nunciabat. Nec ipse intra fines suos moratus est; sed transjecto protinus freto, ad Byzantii portas accessit armatus. Erant ibi milites praesidiarii, ad hujusmodi casus a Licinio collocati. Hos primum muneribus et promissis illicere tentavit, postea vi et oppugnatione terrere; nec tamen quidquam vis aut promissa valuerunt. Jam consumpti erant dies undecim, per quos fuit spatium nuncios literasque mittendi ad

---

pinas, quibus jam imperabat, victor sibi subjecerat Italiam et Africam.

1) *Ut acciperet uxorem* scil. Constantiam, Constantini sororem.

2) *Mansionibus geminatis* i. e. una die tantum fecit itineris, quantum duae mansiones in via regia distabant invicem. Nec in prima, sed in secunda quiescebat. Cellarius. *Concurrit.* Ita ms., aliqui tamen mallent legere *cucurrit* vel *accurrit.*

Imperatorem, cum milites non fide[1]), sed paucitate diffisi, seipsos dederunt. Hinc promovit Heracleam; et illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amisit. Et jam Licinius festinato itinere, cum paucis Adrianopolim venerat, cum ille accepta in deditione Perintho[2]), aliquanto moratus, processit ad mansionem milia decem et octo. Nec enim poterat ulterius, Licinio jam secunda mansione tenente distantem millibus totidem[3]); qui collectis ex proximo, quantis potuit, militibus pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quam proposito dimicandi, aut spe victoriae. Quippe cum ille septuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta millium numerum collegisset. Sparsi enim milites per diversas regiones fuerant, et adunari omnes angustiae temporis non sinebant.

XLVI. Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem praelium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vo-

---

[1]) *Non fide.* Dederunt se, non quod deessent fidei imperatori (Licinio) debitae, sed quod diffiderent propter paucitatem se resistere amplius posse.

[2]) *Perintho*, aliud urbis Heracleae nomen.

[3]) Locus hic plane mendosus est in ms., ita vero a viris eruditis restituitur.

vit, ut si victoriam cepisset, christianorum nomen extingueret, funditusque deleret. Tunc proxima nocte Licinio quiescenti adsistit angelus Dei, monens ut ocius surgeret, atque oraret Deum summum cum omni exercitu suo, illius fore victoriam, si fecisset. Post has voces cum surgere sibi visus esset, et cum ipso qui monebat adstaret, tunc docebat eum, quomodo et quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, notarium jussit acciri, et sicut audierat, haec verba dictavit: „Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi commendamus, salutem nostram tibi commendamus, imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores et felices existimus. Summe sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi sancte summe Deus". Scribuntur haec in libellis pluribus, et per praepositos tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis, victoriam sibi credentibus de coelo nunciatam. Statuit Imperator praelium diei kalendarum Majarum, quae octavum annum nuncupationis ejus[1]) implebant; ut suo potis-

[1]) *Ejus* i. e. Maximini: hic enim kalendis Maji

simum natali vinceretur, sicut ille victus est Romae. Maximinus voluit praeire maturius; pridie mane aciem composuit, ut natalem suum ostridie victor celebraret. Nunciatur in castra movisse Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus intererat sterilis, ac nudus, quem vocant serenum[1]). Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad coelum manus tendunt, praeeuntibus praepositis, et pro Imperatore precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri a militibus existimabat, quod ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus; eoque

---

nuncupatus est Caesar. — *Sicut ille victus est Romae*, Maxentius nempe.

[1]) *Serenum.* Secundum alios hoc nomen fuit campi: secundum alios *serenum* hic est adjectivum, cum omnis campus ab arboribus nudus dicatur *serenus.* — *Galeas resolvunt* i. e. resolvunt nexus ligaminum, quibus galeae capiti aptabantur et constringebantur, ne exciderent. — *Pro imperatore*, al. *post imperatorem.*

proposito moverat bellum, ut exercitus Licinii sine certamine accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

XLVII. Ergo propius acceditur, tubae canunt, signa procedunt. Liciniani impetu facto, adversarios invadunt. Illi vero perterriti, nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, et ad suos refugit. Caedebatur acies ejus impune, et tantus numerus legionum, tanta vis militum a paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum praemiorum memor; quasi ad devotam mortem, non ad praelium venissent, sic eos Deus summus jugulandos subjecit inimicis. Jam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri, quam putabat. Projecit purpuram, et sumpta veste servili, fugit, ac fretum trajecit; ac (f. at) in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita, vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deserendi desertor Imperator. At ille kalendis Majis, id est, una nocte atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cum locus proelii abesset millia centum sexaginta; raptisque filiis, et uxore, et paucis ex

palatio comitibus, petivit orientem. Sed in Cappadocia collectis ex fuga, et ab oriente militibus substitit. Ita vestem[1]) resumpsit.

XLVIII. Licinius vero, accepta exercitus parte ac distributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus; et Nicomediam ingiesus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit, ac die Iduum Juniarum, Constantino atque ipso ter consulibus, de restituenda Ecclesia hujusmodi literas ad praesidem datas proponi jussit.

„Cum feliciter tam ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus, atque universa, quae ad commoda et securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, haec inter cetera, quae videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus, quibus divinitatis reverentia continebatur, ut daremus et christianis et omnibus liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset, quod quicquid divinitatis[2]) in sede coe-

---

[1]) *Vestem* i. e. purpuram.

[2]) *Quo quidquid divinitatis.* Ita videtur restituendus hic locus ex versione graeca, quam habes apud Eusebium l. 10. c. 5. Ms. habet, *quod quidem divinitas.*

lesti nobis atque omnibus, qui sub potestate nostra sunt constituti, placatum ac propitium possit existere. Itaque hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi christianorum, vel ei religioni mentem suam dederet, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret; ut possit nobis summa divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benevolentiamque praestare. Quare scire dicationem tuam [1]) convenit placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quae prius scriptis ad officium tuum datis super christianorum nomine videbantur, nunc libere ac simpliciter unusquisque eorum, qui eandem observandae religioni christianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudi-

---

[1]) *Dicationem tuam* i. e. dignationem; apud Eusebium *devotionem.* „Dicatio, inquit Nurrius, est titulus honoris, qui praesulibus et proconsulibus dabatur.“ Mox illa *super christianorum nomine videbantur* manca sunt ex Eusebio supplenda: *Super christianorum nomine continebantur, et quae prorsus laevae et a nostra clementia alienae esse videbantur, eae tollantur et nunc libere ac simpliciter unusquisque* etc.

nem ac molestiam sui idipsum observare contendant. Quae sollicitudini tuae plenissime significanda esse credidimus, quo scires nos liberam atque absolutam colendae religionis suae facultatem iisdem christianis dedisse. Quod cum iisdem a nobis indultum esse pervideas, intelligit dicatio tua, etiam aliis religionis suae vel observantiae potestatem similiter apertam et liberam pro quiete temporis nostri esse concessam, ut in colenda quod quisque delegerit, habeat liberam facultatem, quia nolumus detrahi[1]) honori neque cuiquam religioni aliquid a nobis. Atque hoc insuper in persona christianorum statuendum esse censuimus, quod si eadem loca, ad quae antea convenire consueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum literis certa antehac forma fuerat comprehensa, priore tempore aliqui vel a fisco nostro, vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem christianis sine pecunia, et sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituantur. Qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem similiter iisdem christianis quantocius red-

---

[1]) *Quia nolumus detrahi.* Haec verba in ms. exciderunt, restituuntur tamen ex Eusebii versione.

dant, etiam vel hi qui emerunt, vel qui dono erunt (*f.* fuerunt) consecuti, si petiverint de nostra benevolentia aliquid, Vicarium postulent, quo et ipsis per nostram clementiam consulatur. Quae omnia corpori christianorum protinus per intercessionem tuam, ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem christiani non ea loca tantum, ad quae convenire consueverunt, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis eorum, id est, ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege, qua superius comprehendimus[1]), citra ullam prorsus ambiguitatem, vel controversiam iisdem christianis, id est, corpori et conventiculis eorum reddi jubebis, supradicta scilicet ratione servata, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentia sperent. In quibus omnibus supradicto corpori christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut praeceptum nostrum quantocius compleatur, quo etiam in hoc per clementiam nostram quieti publicae consulatur.

---

[1]) *Qua superius comprehendimus.* Forte legendum est *quam.* Eusebius vertit ὃν (*νόμον*) προειρήκαμεν.

Hactenus fiet, ut sicut superius comprehensum est, divinus juxta nos favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne tempus prospere successibus nostris cum beatitudine nostra publica perseveret. Ut autem hujus sanctionis benivolentiae nostrae forma ad omnium possit pervenire notitiam, perlata programmate tuo haec scripta et ubique proponere, et ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benivolentiae nostrae sanctio latere non possit."

His literis propositis, etiam verbo hortatus est, ut conventicula in statum pristinum redderentur. Sic ab eversa Ecclesia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minus quatuor [1]).

XLIX. Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, profugus concessit[2]), et rursus Tauri montis angustias petiit, munimentis ibidem ac turribus fabricatis iter obstruere conatus est, et inde dextrorsum perrumpentibus omnia victoribus, Tarsum postremo confugit. Ibi cum jam terra marique

---

[1]) *Anni decem* etc. i. e. a 1. Martii 303. usque ad 13. Junii 313.

[2]) *Concessit* i. e. loco cessit vel abeundo locum illi (Licinio) dedit.

peteretur [1]), nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quasi ad remedium malorum, quae Deus in caput ejus ingessit. Sed prius cibo se infersit, ac vino ingurgitavit, ut solent hi, qui hoc ultimo se facere arbitrantur. Et sic hausit venenum. Cujus vis, referto stomacho repercussa, valere non potuit in praesens, sed in languorem malum versa pestilentiae similem, ut diutius protracto spiritu cruciamenta sentiret. Jam saevire in eum coeperat virus; cujus vis cum praecordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est, adeo ut per dies quatuor insania percitus, haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravesque cruciatus, cum caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amisso visu, Deum videre coepit candidatis ministris [2]) de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii, qui torqueri solent, et non se, sed alios fecisse dicebat. Deinde quasi tormentis adactus fatebatur, Christum subinde deprecans et plo-

---

[1]) *Peteretur*, al. *perterretur* vel *premeretur*.

[2]) *Candidatis ministris* supple circumdatum de se judicantem vidit.

rans ut suimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tamquam cremaretur, edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit.

L. Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps nec radix ulla remaneret. Nam Licinius summa rerum potitus, in primis Valeriam [1]), quam Maximinus iratus [2]) nec post fugam quidem, cum sibi videret esset pereundum, fuerat ausus occidere; idem Candidianum, quem Valeria ex concubina genitum ob sterilitatem adoptaverat, necari jussit. Mulier tamen ut eum vicisse [3]) cognovit, mutato habitu, comitatui ejus se miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur, quia Nicomediae se obtulerat, et in honore haberi videbatur, nihil tale metuens occisus est. Et illa, exitu

---

[1]) *Valeriam.* In ms. *Valerium, quem.* Sed viri eruditi legunt, *Valeriam, quam.* De hac Galerii uxore, dein vidua egit Lactantius n. 39 ss. Pagius tamen ad a. 306. n. 15. putat legendum esse *Valerium*, qui idem fuerit cum Valente, qui hoc tempore apud Carthaginem imperator proclamatus fuerat. Certe locus hic nonnihil est implexus.

[2]) *Maximinus iratus* propter negatum sibi matrimonium.

[3]) *Vicisse* al. *vixisse* vel divise, *vixisse. Comitatui ejus* scil. Licinii.

ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam aetate robustum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie sequutus, tamquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententiae subjectum interemit. Qui omnes Licinium jam pridem quasi malum metuentes, cum Maximino esse maluerant, praeter Valeriam[1]), quae nolens Licinio in omnes Maximiani hereditates jure suo cedere, idem Maximino negaverat. Ipsius quoque Maximini filium tum maximum agentem in annis octo, et filiam septennem, quae desponsa fuerat Candidiano, extinxit. Sed prius mater eorum in Orientem[1]) praecipitata est. Ibi saepe illa castas feminas mergi jusserat. Sic omnes impii vero et justo judicio Dei eadem, quae fecerant, receperunt.

LI. Valeria quoque per varias provincias

---

[1]) *Praeter Valeriam.* Ms. *prae Valeria.* — *Quae nolens.* Ms. habet *quae volenti.* Illas lectiones eruditi probant, ut sensum planiorem reddant. *Idem Maximino negaverat* scil. jure suo in viri hereditatem cedere, reprobans matrimonium sibi ab ipso oblatum.

[2]) *Orientem.* Plerique malunt legere Orontem, est enim hic sermo de flumine. Sed cum nonnulli veteres flumen illud etiam Orientem vocaverint, potest retineri lectio ms.

quindecim mensibus plebejo cultu pervagata, postremo apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre poenas dedit. Ductae igitur mulieres cum ingenti spectaculo et miseratione tanti casus ad supplicium; et amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Ita illis pudicitia et conditio exitio fuit[1]).

LII. Quae omnia secundum fidem (scienti enim loquor[2]), ita ut gesta sunt mandanda literis credidi; ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut si quis historiam scribere voluisset, (non) corrumperet veritatem, vel peccata illorum adversum Deum, vel judicium Dei adversus illos reticendo. Cujus aeternae pietati gratias agere debemus, qui tandem respexit in terram, quod gregem suum partim vastatum a lupis rapacibus, partim vero dispersum, reficere ac recolligere dignatus est, et bestias malas extirpare, quae

---

[1]) *Ita illis pudicitia et conditio exitio fuit.* Utrique conditio, quod essent Augustae, nam Prisca, Valeriae mater, uxor erat Diocletiani. Pudicitia vero Valeriae occasio mortis fuit, quod nollet matrimonium etiam a Licinio antequam duceret Constantiam oblatum acceptare.

[2]) *Scienti enim loquor.* Al. malunt legere *secundum fidem scientium loquor.*

divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant. Ubi sunt modo magnifica illa et clara per gentes Joviorum et Herculiorum cognomina[1]), quae primum a Dioclete ac Maximiano insolenter assumpta, ac postmodum ad successores eorum translata, viguerunt? Nempe delevit ea Dominus et erasit de terra. Celebremus igitur triumphum Dei cum exsultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, diurnis nocturnisque precibus celebremus; celebremus, ut pacem post annos decem plebi suae datam confirmet in seculum. Tu praecipue, Donate carissime, qui a Deo mereris audiri, Dominum deprecare, ut misericordiam suam servet aeternam famulis suis propitius ac mitis, ut omnes insidias atque impetus diaboli a populo suo arceat, ut florescentis Ecclesiae perpetuam quietem custodiat.

---

[1]) *Joviorum et Herculiorum cognomina.* Tamquam a Jove et Hercule genus ducerent, Diocletianus *Jovius*, Aurel. Maximianus *Herculius* appellari voluerunt. Horum etiam successores Galerius, Maximinus et Licinius *Jovii* cognomen usurparunt, Constantius et Constantinus nonnunquam *Herculii.*

HISTORIA

PERSECUTIONIS AFRICAE PROVINCIAE

TEMPORE GEISERICI ET HUNERICI REGUM VANDALORUM

AUCTORE

S. VICTORE VITENSI.

PROLOGUS.

Quondam veteres ob studium sapientiae enucleare atque sciscitari assidue minime desistebant, quae forte, vel qualia, prospere vel secus, provinciis, locis aut regionibus evenissent, de quibus vel in quibus exacuentes stylum ingenii sui, redolente magisterii flore, ignaris historiarum calathos offerrent gratuito munere propinatos, dabantque operam, ut nequaquam lateret in totum, quod in parte fuerat gestum. Sed illi fastu mundialis amoris inflati, gloriam elationis suae longe lateque gestiebant laudabiliter diffamari. At vero venerabilitas studii tui, historiam texere jubens, inquirit[1]), simili quidem

[1]) Ruinart fatetur praefationem hanc ita verbo-

fervore, dispari tamen amore; et illi ut laudarentur in seculo, ipse ut praeclarus appareas in futuro, et dicas: *In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti et laetentur* (Ps. 33, 3). Poteris, inquis, ut voles, quia omne datum optimum, et omne donum perfectum coelitus accepisti, eruditus a tanto pontifice, totoque laudis genere praedicando beato Diadocho, cujus ut astra lucentia exstant quamplurima catholici dogmatis monumenta dictorum. Et sat est tibi ut aequipares doctrinam doctoris; quia est satis discipulo, ut sit quomodo magister ejus. Alium video Timotheum, ab incunabulis infantiae sacris literis eruditum: nec non

---

rum ambagibus esse involutam, ut difficile sit verum illius auctoris sensum assequi: hinc illam depravatam esse suspicatur. Sensus autem est: Venerabilitas tua studiosa cum historiam texere jubet, *inquirit*, nititur simili quidem fervore ac veteres historici, dispari tamen amore, ut praeclarus appareat tamquam auctor boni operis in futuro, sicut illi nitebantur, ut laudarentur in hoc seculo. Verba quae dein sequuntur, *Poteris, inquis*, usque ad illa *apostoli Pauli gentium doctoris discipulum*, videntur illius, quem alloquitur Victor, exhortationem continere, qua ad scribendum animum facit. Quis vero sit ille b. Diadochus, cujus fit mentio, non satis liquet.

inter alios sublimen atque expeditum Lucam, arte medicum, apostoli Pauli gentium doctoris discipulum. Ego namque jubentis imperio obedientiae cervicem submittens, quae obvenerunt in partibus Africae, debacchantibus arianis, sensim breviterque indicare tentabo, et quasi rusticus operarius defatigatis ulnis, aurum colligam de antris occultis, speciem vero adhuc sordentem atque confusam non cunctabor artificis judicio igni examinandam contradere, qui monetarios possit solidos (*al.* picturae) efformare.

LIBER PRIMUS.

Geiserici Vandalorum regis in Africa persecutio.

1. Sexagesimus nunc, ut clarum est, agitur annus (*an.* 487), ex quo populus ille crudelis ac saevus vandalicae gentis Africae miserabilis (*al.* miserabiles) attigit fines, transvadans facili transitu per angustias maris, qua inter Hispaniam Africamque aequor hoc magnum et spatiosum, bissenis millibus angusto se limite coarctavit. Transiens igitur quantitas universa, calliditate Geiserici ducis, ut famam terribilem suae faceret gentis, illico statuit omnem multitudinem numerari, quam huic luci ad illam usque diem uterus profuderat ventris. Qui

reperti sunt senes, juvenes, parvuli, servi vel domini, octoginta millia numerati. Qua opinione divulgata, usque in hodiernum a nescientibus armatorum tantus numerus aestimatur, cum sit nunc exiguus et infirmus. Invenientes igitur pacatam quietamque provinciam, speciositatem totius terrae florentis quaquaversum impietatis agminibus impetebant (*al.* impendebant), devastando depopulabantur, incendio atque homicidiis totum exterminantes. Sed nec arbustis fructiferis omnimode (*al.* omnino) parcebant; ne forte quos antra montium, aut praerupta terrarum, vel seclusa quaeque occultaverant, post eorum transitum illis pabulis nutrirentur; et sic eadem atque iterum tali crudelitate furentibus, ab eorum contagione nullus remansit locus immunis. Praesertim in ecclesiis basilicisque sanctorum, coemeteriis vel monasteriis sceleratius saeviebant, ut majoribus incendiis domos orationis magis quam urbes, cunctaque oppida concremarent. Ubi forte venerabilis aulae[1]) clausas repererant portas, certatim ictibus dextralium aditum reserabant, ut recte tunc diceretur: *Quasi in silva lignorum securibus*

---

[1]) *Venerabilis aulae* scil. ecclesiae, templi.

consciderunt januas ejus in idipsum; in securi et ascia dejecerunt eam. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra; polluerunt tabernaculum nominis tui (Psal. 73, 6, 7).

2. Quanti tunc ab eis praeclari pontifices et nobiles sacerdotes diversis poenarum generibus exstincti sunt, ut traderent si quid auri vel argenti proprium, vel ecclesiasticum haberent? Et dum quae erant, urgentibus poenis facilius proderentur, iterum crudelibus tormentis oblatores urgebant, autumantes quandam partem, non totum esse oblatum; et quanto plus dabatur, tanto amplius quempiam habere credebant. Aliis palorum vectibus ora reserantes fetidum coenum ob confessionem pecuniae faucibus ingerebant; nonnullos in frontibus et tibiis, nervis remugientibus torquendo cruciabant. Plerisque aquam marinam, aliis acetum, amurcam, liquamenque et alia multa atque crudelia, tamquam utribus imbutis ori apposita, sine misericordia porrigebant. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia sacerdotalis, crudeles animos mitigabat: quinimo ibi exaggerabatur ira furoris, ubi honorem conspexerant dignitatis. Quantis sacerdotibus, quantisque illu-

stribus onera ingentia, uti camelis vel aliis generibus jumentorum imposuerint, nequeo narrare; quos stimulis ferreis ad ambulandum urgebant, quorum nonnulli sub fascibus[1]) miserabiliter animas emisere. Senilis maturitas atque veneranda canities, quae caesariem capitis ut lanam candidam dealbarat, nullam sibi ab hospitibus misericordiam vindicabat. Sed etiam parvulos ab uberibus maternis rapiens barbarus furor, insontem infantiam allidebat ad terram. Alii e regione pedes tenentes, a meatu prorsus naturali usque ad arcem capitis dissipabant, quando tunc forte Sion captiva cantabat: Dixit inimicus incendere fines meos, interficere infantes meos, et parvulos meos se elisurum ad terram (IV. Reg. 8, 12).

3. In aedificiis nonnullis magnarum aedium, vel domorum, ubi ministerium ignis minus valuerat, tectis admodum despicatis (*Colb.* dissipatis), pulchritudinem parietum solo aequabant; ut nunc antiqua illa speciositas civitatum, nec quia (*al.* quae) fuerit prorsus appareat. Sed et urbes quamplurimae, aut raris, aut nullis habitatoribus incoluntur. Nam et hodie si qua supersunt,

---

[1]) *Sub fascibus,* sub oneribus.

subinde desolantur, sicut in Carthagine odii causa, theatra, aedem Memoriae et viam, quae Coelestis vocabatur[1]), funditus deleverunt. Et ut de necessariis loquar, basilicam majorem (*Colb.* 21. majorum), ubi corpora sanctorum martyrum Perpetuae atque Felicitatis sepulta sunt, Celerinae vel Scillitanorum, et alias, quas non destruxerant, suae religioni licentia tyrannica manciparunt. Ubi vero munitiones aliquae videbantur, quas hostilitas barbarici furoris oppugnare nequiret, congregatis in circuitu castrorum innumerabilibus turbis, gladiis feralibus cruciabant; ut putrefactis cadaveribus, quos adire non poterant arcente murorum defensione, corporum liquescentium enecarent fetore. Quanti et quam numerosi tunc ab eis cruciati sunt sacerdotes, explicare quis poterit? Tunc enim et nostrae civitatis venerabilis Papinianus, antistes, candentis ferri laminis toto adustus est corpore. Similiter et Mansuetus uricitanus, in porta incensus est Fornitana. Qua tempestate Hipporegium

---

[1]) *Et viam quae Coelestis vocabatur.* Ita vocabatur a templo idolo *Coelestis* sacro. Porro haec via erat admodum magnifica. *Et ut de necessariis loquar*, scil. de aedificiis et rebus, quae nobis christianis sunt necessaria.

obsessa est civitas, quam omni laude dignus beatus Augustinus, librorum multorum confector, pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiae quod ubertim per omnes campos Ecclesiae decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius propinata, in amaritudinem absinthii versa est, ut davidicum praeconium conveniret: *Dum consisteret peccator adversum me, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (Ps. 38, 2, 3). Usque ad illud tempus ducentos jam triginta et duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterii, et Evangeliorum, atque tractatibus popularibus, quos graeci homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est.

4. Quid multa? Post has truces impietatis insanias, ipsam urbem maximam Carthaginem Geisericus tenuit et intravit; et antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in servitutem redegit (a. 439). Nam et senatorum urbis non parvam multitudinem captivavit. Et inde proposuit decretum, ut unusquisque auri, argenti, gemmarum vestimentorumque pretiosorum quodcunque haberet afferret (*al.* offerret); et ita in brevi avitas atque paternas opes tali industria

abstulit rapax. Disponens quoque singulas quasque provincias, sibi Byzacenam Abaritanam, atque Getuliam, et partem Numidiae reservavit; exercitui vero Zeugitanam vel proconsularem funiculo haereditatis divisit; Valentiniano adhuc imperatore reliquas, licet jam exterminatas, provincias defendente; post cujus mortem totius Africae ambitum obtinuit, necnon et insulas maximas, Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Ebusum [1]), Majoricam, Minoricam et alias multas superbia sibi consueta defendit. Quarum unam illarum, id est, Siciliam, Odoacro Italiae regi postmodum tributario jure concessit; ex qua ei Odoacer singulis quibusque temporibus, ut domino tributa dependit, aliquam tamen sibi reservans partem. Praeterea praecipere nequaquam cunctatus est vandalis, ut episcopos atque laicos nobiles de suis ecclesiis et sedibus (*al.* et locis) nudos penitus effugarent. Quod si optione proposita exire tardarent, servi perpetuo remanerent. Quod etiam in plurimis factum est, multos enim episcopos et laicos, claros atque honoratos viros, servos esse novimus vandalorum.

---

[1]) *Ebusum* insula est maris mediterranei.

5. Tunc vero memoratae urbis episcopum, id est, Carthaginis, Deo et hominibus manifestum, nomine Quodvultdeum, et maximam turbam clericorum navibus fractis impositos, nudos atque exspoliatos expelli praecepit. Quos Deus miseratione bonitatis suae, prospera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus est civitatem. Senatorum atque honoratorum multitudinem primo exsilio crudeli contrivit, postea transmarinas in partes projecit. Pulso namque episcopo, ut praefati sumus, cum clero venerabili, illico ecclesiam nomine Restitutam, in qua semper episcopi commanebant, suae religioni mancipavit, atque universas, quae intra muros fuerant civitatis, cum suis divitiis abstulit. Sed etiam foris muros quascunque voluit occupavit, et praecipue duas egregias et amplas sancti martyris Cypriani: unam ubi sanguinem fudit, aliam ubi ejus sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur. Quis vero sustineat atque possit sine lacrymis recordari, dum praeciperet nostrorum corpora defunctorum, sine solemnitate hymnorum, cum silentio ad sepulturam perduci? Addit adhuc, ut et pars clericorum quae remanserat, poenali exsilio truderetur (*al.* exitio traderetur). Et dum ista

fierent, qui supererant magni sacerdotes atque insignes viri memoratorum provinciarum, quas diviserat vandalis, cogitaverunt supplicandi gratia regem adire. Qui dum, ut moris est, ad Maxilitanum littus exisset, quod Lugula vulgi consuetudine vocitatur, amissis jam ecclesiis et rebus occurrere ausi sunt, supplicantes, ut ad consolandum populum Dei, saltem habitandi facultas, vandalis jam dominantibus, concederetur. Quibus ille per internuncium rabido ore respondisse fertur: Decrevi ego de nomine et genere vestro nullum dimittere, et vos audetis talia postulare! Quos etiam vicino mari voluit eadem hora demergere, nisi a suis diu ne hoc faceret rogaretur. Recedentes igitur illi, tristitia et moerore confecti, coeperunt qualiter poterant, et ubi poterant, ablatis ecclesiis divina mysteria celebrare. Subinde autem crescente opibus regno, major coepit et superbia propagari.

6. Referam autem factum, quod ipso gestum est tempore. Fuit comes quidam Sebastianus, famosi illius gener comitis Bonifacii[1]), acer consilio, et strenuus in bello;

---

[1]) *Famosi comitis Bonifacii.* Hic est ille Bonifacius, eximius quondam boni rectique cultor, veteri

cujus Geisericus, sicut consilia necessaria habebat, ita et praesentiam formidabat. Cupiens autem illum exstinguere, occasionem mortis de religione quaesivit. Cogitavit rex ut praesentibus episcopis atque domesticis suis, Sebastianum taliter conveniret. Sebastiane, inquit, scio quia fideliter nobis adhaerere jurasti, cujus veritatem sacramenti labores tui vigilantiaque demonstrant. Sed ut nobis connexa semper jugisque maneat amicitia tua, hoc placuit praesentibus sacerdotibus nostris, ut ejus efficiaris cultor religionis, quam et nos et noster populus veneramur. Cui Sebastianus, rem inveniens miram multisque necessariam, pro tempore acute respondit: Quaeso, domine rex, ut

---

amicitia cum Augustino junctus, qui cum Africae praeesset, dolosis adversariorum suorum machinationibus apud Placidiam Augustam hostis publicus declaratus et in extremas fere angustias redactus est. Hinc vandalos in auxilium vocavit, unde causa exstitit tot calamitatum, quae ab eo tempore Africam non solum afflixerunt, sed plane vastarunt et perdiderunt, et quas Victor hic describit. Bonifacius quidem postmodum reconciliatus fuit Augustae et imperio, sed vandali expelli non potuerunt a regione, quam semel occupaverant. Plura de Bonifacio collegit Stiltingus comment. praevio ad vitam s. Augustini §. 52.

nunc unus panis mundissimus ac similaceus (*al.* similagineus) afferatur. Qui cum ignorasset Geisericus Sebastiani victoriam, illico jussit afferri. Apprehendens itaque Sebastianus mundissimum panem, ita effatus est: Hic panis ut ad tantum decorem splendoris veniret, quo mensae regiae necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis conspersus, per aquam transivit et ignem: idcirco et aspectu clarus, et esu suavis habetur. Ita et ego mola catholicae matris commolitus, et cribro examinationis ut simila munda purgatus, rigatus sum aqua baptismatis, et igne sancti Spiritus coctus. Et ut hic panis de furno, ita et ego per officia sacramentorum divinorum, artifice Deo, de fonte mundus ascendi. Sed fiat, si velis, quod ipse propono. Iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua, et iterum conspergatur, mittaturque in furnum: si melior exierit, faciam quod hortaris[1]). Quam propositionem Geisericus cum omnibus qui aderant cum audisset, ita ligatus est, ut se sol-

---

[1]) Vandali haeresi arianae addicti solebant catholicos rebaptizare. Jam vero hac comparatione baptismatis cum pane utitur Sebastianus, ut ostendat quam irrationalis sit haec consuetudo nefanda.

vere omnino non posset; quare alius (*al.* quem alio) generis argumento postea bellicosum virum occidit.

7. Et ut ad id redeamus, unde digressi sumus, terret praeceptis feralibus, ut in medio vandalorum nostri nullatenus respirarent, neque usquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus; ut manifeste tunc prophetiae vaticinium compleretur: *Non est in hoc tempore princeps, aut propheta, vel dux, neque locus ad sacrificandum nomini tuo* (Dan. 3, 38). Nam et diversae calumniae non deerant quotidie, etiam illis sacerdotibus, qui in his regionibus versabantur, quae regis palatio tributa pendebant. Et si forsitan quispiam, ut moris est, dum Dei populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonosor, Holofernem, aut aliquem similem nominasset, objiciebatur illi, quod in personam regis ista dixisset, et statim exsilio trudebatur. Hoc enim persecutionis genus agebatur, hic aperte, alibi occulte, ut piorum nomen talibus insidiis interiret. Qua de re plurimos sacerdotum tunc novimus relegatos, sicut Urbanum girbensem, Crescentem metropolitanum Aquitaniae civitatis, qui centum viginti praeerat episcopis, Habetdeum teudalensem, Eustratium

suffectanum (*al.* suffetanum); et tripolitanos duos, Vices sabratenum et Cresconium oensem; et Adrumetinae civitatis Felicem episcopum, ob hoc quod suscepisset quendam Johannem monachum transmarinum; sed et alios multos, quos longum est enarrare. Quibus tamen in exsilio positis dum obitus obvenisset, non licebat alios eorum civitatibus ordinari episcopos. Inter haec tamen Dei populus in fide consistens, ut examen apum cereas aedificans mansiones, crescendo melleis fidei calculis firmabatur; ut impleretur illa sententia: *Quanto magis eos affligebant, tanto magis multiplicabantur et invalescebant nimis* (Exod. 1, 12).

8. Post haec factum est, supplicante Valentiniano Augusto, carthaginensi Ecclesiae post longum silentium desolationis, episcopum ordinari nomine Deogratias: cujus si nitatur quisquam quas per illum virtutes Dominus fecerit, paulatim excutere (*al.* excurrare), ante incipient verba deficere, quam ille aliquid valeat explicare. Illo igitur episcopo constituto factum est, peccatis urgentibus, ut urbem illam quondam nobilissimam atque famosissimam quinto decimo regni sui anno Geisericus caperet Romam (an. 455); et simul exinde regum multorum

divitias cum populis captivavit. Quae dum multitudo captivorum africanum attingeret littus, dividentibus vandalis et mauris ingentem populi quantitatem, ut moris est barbaris, mariti ab uxoribus, et liberi a parentibus separabantur. Statim sategit vir Deo plenus et carus, universa ministerii vasa aurea vel argentea distrahere, et libertatem de servitute barbarica liberare, et ut conjugia foederata manerent, et pignora genitoribus redderentur. Et quia loca nulla sufficiebant ad capessendam multitudinem tantam, basilicas duas nominatas et amplas, Fausti et Novarum, cum lectulis atque straminibus deputavit, decernens per singulos dies, quantum quis pro merito acciperet. Et quia plerosque insuetudo (*al.* mansio) navigii et crudelitas captivitatis afflixerat, non parvus inter eos numerus fuerat aegrotorum, quos ille beatus antistes, ut nutrix pia, per momenta singula cum medicis (*al.* vice medici) circumibat, sequentibus cibis, ut inspecta vena, quid cui opus esset, illo praesente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere misericordiae feriabatur; sed pergebat excurrens per singulos lectos, sciscitans qualiter quisque se haberet. Ita se huic tradiderat omnino (Colb. 1. omni) la-

bori, ut nec defessis membris, nec cariosae jam senectuti parceret. Quare livore ariani succensi, dolis eum quamplurimis voluerunt saepius enecare. Quod credo, praevidens Dominus, cito passerem suum de manibus accipitrum voluit liberare. Cujus exitum ita urbici[1]) captivi planxerunt, ut tunc se putarent magis tradi manibus barbarorum, quando ille perrexit ad coelum. Functus est autem sacerdotio annis tribus. Cujus amore et desiderio populus intentus potuerat membra digni corporis rapere, nisi consilio prudenti, dum pro more orationi vacatur, nesciente multitudine sepeliretur.

9. Et quia tacendum semper non est de impietatibus haereticorum, nec verecundum poterit esse, quod ad laudem proficit patientis; ordinatus quondam sacerdos nomine Thomas, dum variis ab eis insidiis saepius arctaretur, quodam tempore venerabilem senem in publico (*al.* publica) facie catomis[2])

---

[1]) *Urbici*, i. e. ex urbe Roma.

[2]) *Catomis* i. e. virgis. *Catomus* virgarum est genus. Ceterum hic Thomas, ut advertit Ruinart, non videtur fuisse episcopus carthaginensis, deest enim in vetustissimo calendario carthaginensi, nec ab aliis inter illius civitatis episcopos numeratur. Quare quae hic de episcopo carthaginensi dicuntur, non ad Tho-

ceciderunt. Quod ille non ad opprobrium, sed ad mercedem computans gloriae suae, in Domino laetabatur. Unde factum est, ut post obitum episcopi Carthaginis, zeugitanae et proconsulari provinciae episcopos interdiceret ordinandos, quorum erat numerus centum sexaginta quatuor. Qui paulatim deficientes, nunc, si vel ipsi supersunt, tres tantum esse videntur: Vincentius gigitanus, Paulus sinnaritanus, vere merito et nomine Paulus et alius quintianus, qui nunc persecutionem fugiens, apud Edessam Macedoniae civitatem commanet peregrinus.

10. Sed etiam tunc martyres quamplurimi fuisse probantur. Confessorum autem ingens et plurima multitudo, ex quibus āliquos narrâre tentabo. Erānt tunc servi cujusdâm vāndāli: fuit āutem hic vandālus de illis, quos millenārios vocānt, Martinianus, Saturianus, et eorum duo germani; erat et quaedam conserva eorum egregia Christi ancillă nomine Maxima, corpore simul et

---

mam referenda sunt, sed novum veluti continent factum. Hinc illa, *unde factum est*, non connexionem unius facti cum altero significant, sed referenda sunt generatim ad illius temporis adjuncta, ut sensus sit, ex eodem persecutionis fervore et spiritu factum esse ut etc.

corde (*al.* mente) decorā. Et quià Martinianus armifactor erat, et domino suo satis videbatur acceptus et Maxima universae domui dominabatur, credidit vandalus, ut fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianum Maximamque conjugali consortio sociare. Martinianus adolescentulorum secularium more conjugium affectabat; Maximàque, jàm Deo sacrata, humanas nuptias refutabat. At ubi ventum est ut cubiculi adirentur secreta silentia, et Martinianus nesciens quid de illo decreverat Deus, maritali fiducia quasi cum conjuge cuperet cubitare, viva voce ei memorata famula Christi respondit: Christo ego, o Martiniane frater, membra mei corporis dedicavi, nec possum humanum sortiri conjugium, habens jàm coelestem et verum sponsum. Sed dabo consilium. Si velis, poteris et ipse tibi praestare, dum licet, ut cui ego concupivi nubere, delecteris et ipse servire. Ita factum est, Domino procurante, ut obediens virgini etiam adolescens suam animam lucraretur. Nesciente igitur vandalo spiritalis secreti commercium, compunctus atque mutatus Martinianus, etiam suis fratribus persuasit ut thesaurum quem invenerat haberent, utpote germani, communem. Conversus itaque cum

tribus fratribus suis, Dei quoque puella comitante, nocte clam egredientes, Tabraceno monasterio, cui praeerat tunc nobilis pastor Andreas, sociantur. Illa vero haud procul monasterium incoluit puellarum. Sciscitante igitur barbaro inquisitionibus et muneribus crebris, quod gestum erat celari non potuit. Inveniens itaque jam non sua, sed Christi mancipia, conjicit in vinculis et variis tormentis Dei famulos insectatur; agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur, sed, quod gravius est, per rebaptizationis coenum, fidei suae ornamenta turparent. Pervenit hoc ipsum usque ad notitiam Geiserici regis, qui praecepit ut tamdiu implacabilis herus servos affligeret, quamdiu illius succumberent voluntati. Jubet in modum serarum fustes robustos veluti palmatos cum stirpibus fieri, qui quatientibus (Colb. 1. quatientes) tergis non solum ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, et dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die, Christo medente, semper incolumes reddebantur. Hoc saepius ac multo factum est tempore et (Mart. ut) nulla plagarum vestigia videbantur, sancto Spiritu subinde curante. Post hoc arctantur maxime

dura custodia, compedeque crudeli extenduntur, quibus cum Dei servorum visitantium non deesset frequentia, videntibus cunctis ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo[1]). Miraculum hoc et voce omnium celebratur, et nobis ille, ad quem custodia pertinebat, cum sacrămento testatus est ita fuisse.

11. At ubi vandalus virtutem neglexit cognoscere divinam, coepit in domo ejus vindicatrix irá grassari. Moritur ipse simul et filii; familiae atque animalium, quaecunque optima erant, pariter intereunt. Remanens itaque domina vidua, marito, filiis et substantia destituta, servos Christi cognato regis Sersaoni (*al.* Sesacni) gratia muneris offert. Qui cum eos, utpote oblatos, cum gratulatione nimia suscepisset, filios et domesticos ejus sanctorum merito male coepit daemon variis motibus agitare. Ex ordine ille cognatus, ut gestum erat, suggerit regi. Decernit statim rex cuidám gentili regi máu-

---

[1]) *Soluta est fortitudo*, scil. compedis ligneae, quae erat perforata variis foraminibus ab invicem dissitis, quibus inserebantur vinctorum pedes non sine gravi incommodo imo et cruciatu. Porro Maximae et quatuor horum fratrum festivitas celebratur in martyrologio 16. Octobris.

rorum, cui nomen inerat Capsur (*al.* Capsum), religandos debere transmitti. Maximam vero Christi famulam confusus et victus propriae voluntati dimisit; quae nunc superest virgo, mater multarum virginum Dei, nobis etiam nequaquam ignota. Pervenientes autem traduntur memorato regi maurorum commanenti in parte eremi, quae dicitur Capra-Picta. Videntes igitur Christi discipuli multa apud gentiles illicita sacrificiorum sacrilegia, coeperunt praedicatione et conversatione sua ad cognitionem Domini Dei nostri barbaros invitare et tali modo ingentem multitudinem gentilium barbarorum Christo Domino lucraverunt, ubi antea a nullo fama christiani nominis fuerat divulgata. Tunc deinde cogitant quid fieret, ut ager jam cultus et ingraminatus vomere praedicationis evangelicum susciperet semen, et imbre sacri baptismatis rigaretur. Mittunt legatos per itinera distenta deserti; pervenitur tandem ad civitatem romanam; rogatur episcopus ut presbyterum ac ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio quod petebatur pontifex; Dei construitur ecclesia, baptizatur simul multitudo maxima barbarorum, et de lupis grex fecundus multiplicatur agnorum. Hoc Geiserico relatione sua

renunciat Capsur. De qua re surgens invidia jubet famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter interire, ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligati, ut exitum suum invicem perviderent. Qui cum vincti, currentibus indomitis equis, plangentibus mauris, sese mutuo conspicerent, vale sibi in angusto fugae unusquisque ita dicebat: Frater, ora pro me; implevit Deus desiderium nostrum. Taliter pervenitur ad regnum coelorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus angelis pias animas emisere. Ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Jesus Christus Dominus noster operari. Nam nobis beatus quondam Faustus buronitanus episcopus attestatus est, caecam quandam mulierem illuminatam fuisse, ubi ipse aderat praesens.

12. Accenditur post haec adversus Dei Ecclesiam Geisericus. Mittit Proculum quendam in provinciam zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina[1]), vel libros cunctos, Domini sacerdotes, ut primo

---

[1]) *Ministeria divina* i. e. vasa, vestes sacras aliaque ad cultum divinum necessaria.

armis nudaret, et ita facilius inermes hostis callidus captivaret. Quibus se non posse tradere clamantibus sacerdotibus, ipsi rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de palliis altaris, proh nefas! camisias sibi et femoralia faciebant. Qui tamen Proculus, hujus rei exsecutor, frustatim sibi comedens linguam, in brevi turpissima consumptus est morte. Tunc etiam sanctus Valerianus Abbenzae civitatis episcopus, dum viriliter sacramenta divina ne traderet dimicasset, foras civitatem singularis jussus est pelli; et ita praeceptum est, ut nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare: qui in strata publica multo tempore nudus (*al.* nudo) jacuit sub aere. Annorum autem erat plus octaginta, quem nos tunc indigni in tali exsilio meruimus salutare.

13. Quodam tempore paschalis solemnitas agebatur et dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diei paschalis honorem nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent, comperiunt ariani. Statim quidam presbyter eorum Adduit nomine, congregata secum armatorum manu, ad expugnandam turbam accendit (*f.* ascendit) innocentium. Introeunt evaginatis spathis, arma corripiunt; alii quoque tecta conscendunt, et per fenestras eccle-

siae sagittas spargunt. Et tunc forte audiente et canente populo Dei, lector unus in pulpito sistens allelujaticum melos canebat. Quo tempore sagitta in gutture jaculatus, cadente de manibus codice, mortuus post cecidit ipse[1]). Nam et alii quamplurimi sagittis et jaculis in medio crepidinis altaris probantur occisi. Nam qui gladiis tunc interempti non sunt, postea poenis attriti, regio jussu omnes pene necati sunt, praesertim maturioris aetatis. Alibi namque, sicut Tinuzudae contigit, in magalibus vici Ammoniae, vel aliis in locis, tempore quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo cum furore, corpus Christi et sanguinem pavimento sparserunt et illud pollutis pedibus calcaverunt.

14. Ipse enim Geisericus praeceperat, ita persuadentibus episcopis suis, ut intra aulam suam filiorumque suorum, non nisi ariani per diversa ministeria ponerentur. Inter alios ventum est tunc ad Armogastem nostrum. Cujus cum diu ac saepius tibias torquendo tumentibus constringerent chordis et frontem, in qua Christus vexillum

---

[1]) Hujus lectoris et ceterorum hic memoratorum festum recolit martyrologium romanum d. 5. Aprilis.

suae fixerat crucis, rugatam magis quam aratam discindentes atque mugientes ostenderent, nervi ut fila aranearum, sancto coelum respiciente, crepabant. At ubi tortores nervicas chordas disruptas esse viderunt, allatis crebrius fortioribus chordis atque cannabinis, illo nihil aliud nisi Christi nomen invocante, illa omnia evanescebant. Sed et capite deorsum dum ad unum penderet pedem, dormire quasi super lectum plumis stratum, omnibus videbatur. Quem cum Theodericus regis filius, qui ejus dominus erat, poenis non valentibus, capite truncari jussisset, a suo prohibetur Jocundo presbytero, dicente sibi: Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient eum romani[1]) martyrem praedicare. Tunc Theodericus in byzacenam provinciam ad fodiendas eum condemnat scrobes. Postea quasi ad majus opprobrium, haud procul Carthagine, ubi ab omnibus videretur, eum pastorem praecepit esse vaccarum. Inter haec, dum, Domino revelante, dormitionis suae proximum cerneret diem, advocat quendam Felicem, venerabilem christianum, procuratorem domus filii re-

[1]) *Romani* i. e. catholici.

gis, qui Armogastem ut apostolum venerabatur; dicitque illi: Tempus meae resolutionis advenit. Obsecro te per fidem, quam utrique tenemus, ut sub hac illice me sepelire digneris, redditurus Deo (*al.* Domino) nostro, nisi feceris, rationem. Non quod ille curaret, ubi aut qualiter suum sepeliretur corpus; sed ut illud demonstraretur, quod servo suo revelaverat Christus (*al.* Deus). Respondit Felix et dixit: Absit a nobis, confessor venerabilis; sed sepeliam te in una basilicarum cum triumpho et gratia, quam mereris. Cui beatus Armogastes: Non, sed quod dixi facturus es. Ille timens Dei hominem contristare, veraciter quod jusserat promisit se esse facturum. Statim intra paucissimos dies[1]) comes bonae confessionis de hac vita migravit. Festinavit

---

[1]) Ex hac voce occasio sumpta est Armogastem in romano martyrologio *comitem* appellandi, die 29. Martii, quasi vir iste sanctus *comitatus* dignitate aliquando fuerit insignitus. At fallar si voces illae, *comes bonae confessionis*, aliud hic signent, quam *in* aut *cum bona confessione.* Unde Ado, Usuardus aliique veteres martyrologiorum scriptores, qui hac ipsa 29. Martii die festum ejusdem sancti confessoris duorumque sequentium, *Archinimi* scilicet et *Saturi*, seu *Satyri*, recolunt, nihil habent de hac *comitis dignitate.*

igitur Felix sibi delegatum sub arbore fodere sepulcrum. Cui cum intexae radices et soliditas aridae telluris moram facerent, et labore angeretur, quod tardius sancti membra corporis humarentur, tandem abscissis radicibus multo altius terram cavans, conspicit sarcofagum splendidissimi marmoris praeparatum, qualem forte nullus omnino habuit regum.

15. Sed nec quendam Archinimum nomine, masculanum, debeo praeterire; qui cum multis insidiis premeretur, ut catholicam amitteret fidem, ipse eum rex postea blandiendo affatibus secularibus invitabat, promittens multis eum divitiis (*al.* deliciis) cumulandum, si voluntati ejus auditum facilem commodasset. Qui cum fortis atque invictus in fide maneret, jubet eum subire sententiam capitalem; ita tamen callidus occulte praecipiens, ut si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem gloriosum fecisset; si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. Sed ille ut columna immobilis Christo solidante fortis effectus, confessor revertitur gloriosus. Etsi martyrem invidus hostis noluit facere, confessorem tamen nostrum non potuit violare.

16. Novimus et alium ea tempestate nomine Saturum, qui, cum lucidum esset membrum Ecclesiae Christi et pravitatem arianorum libertate catholica frequenter argueret (fuit hic procurator domus Hunerici), convenitur, accusante Marivado quodam diacono, quem Hunericus infaustus singulariter honorabat, ut fieret Saturus arianus. Promittuntur honores et divitiae multae si faceret, praeparantur supplicia dira si nollet: hac optione proposita, ut si regalibus jussibus non obediret, primo facta discussione et ante amissa domo vel substantia, distractis omnibus mancipiis ac filiis, uxor ejus, ipso praesente, camelario in conjugium traderetur. Quod ille plenus Deo magis ut velociter proveniret, impios provocabat. Ob quam causam uxor ejus inducias visa est ab his qui exsequebantur, nesciente marito, petisse. Accedit ad maritum alia Eva consilio magistrata serpentis (Gen. 3). Sed ille Adam non fuit, qui illecebrosa vetitae (*al.* vitae) arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Saturus vocabatur saturatus (*al.* satiatus) ab ubertate domus Dei, et torrente deliciarum ejus potatus. Advenit mulier ad locum, ubi maritus singularis orabat, conscissis vestibus, crineque soluto, secum co-

mitantibus filiis, unamque infantulam, quae tunc lactabatur manibus gestans; quam nescientis projiciens ad pedes mariti, etiam ipsa suis genua complectitur ulnis, sibilans vociferatione draconis: Miserere mei, dulcissime, simul et tui; miserere communibus liberis, quos conspicis ipse. Non subjaceant conditioni servili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Non subjiciar ego indigno et turpi conjugio vivente marito, quae mihi semper inter coaevas plaudebam de Saturo meo. Cognoscit Deus, quia invitus facturus es hoc, quod forte voluntarie aliquanti fecerunt. Cui ille Job sancti voce respondit: *Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris* (Job. 2, 10). Formidarem, mulier, si sola esset hujus vitae amara dulcedo: artificio, conjux, diaboli ministras. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum; distrahant (*al.* detrahant) filios, separent uxorem, auferant substantiam; mei Domini ego, securus de promissis, verba tenebo: *Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus* (Luc. 14, 26). Quid ultra? Discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, exspoliatur, poenis

conteritur, mendicus dimittitur, interdicitur ei prodeundi accessus. Totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre ei non potuerunt.

17. Post haec Geisericus ecclesiam Carthaginis claudi praecepit, dissipatis atque dispersis per diversa exsiliorum loca, quia episcopus non erat, presbyteris et ministris. Quae vix reserata est Zenone principe supplicante per patricium Severum et sic universi ab exsilio redierunt. Quae vero in Hispania, in Italia, Dalmatia, Campania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Venetia, Lucania, Epiro veteri, vel Hellade gesserit, melius ibi ipsi qui passi sunt miserabiliter lugendo (*al.* lugenda) narrabunt. Sed jam persecutionis nostrae, a Geiserico quanto sublimiter, tanto crudeliter gestae, iste sit finis. Duravit autem in regno annis triginta septem et mensibus tribus.

LIBER SECUNDUS.

Initia persecutionis Hunerici.

1. Mortuo igitur Geiserico, Hunericus major filius patri succedit. Qui in primordio regni, ut habet subtilitas barbarorum, coepit mitius et moderatius agere et maxime

circa religionem nostram: ut etiam ubi antea sub rege Geiserico praejudicatum (*al.* praedicatum) fuerat, ne spiritales fierent conventus, conventicula concurrerent populorum. Et ut se religiosum ostenderet, statuit sollicitius requirendos haereticos manichaeos; ex quibus multos incendit, plurimos autem distraxit navibus transmarinis: quos pene omnes manichaeos suae religionis invenit et praecipue presbyteros et diaconos, arianae haereseos. Unde magis erubescens, amplius in illos exarsit. De quibus repertus est unus, nomine Clementianus (*al.* Dementianus), monachus illorum, scriptum habens in femore: *Manichaeus discipulus Christi Jesu.* Propter quod magis laudabilior memoratus tyrannus videbatur: in uno displicens, quia cupiditati insatiabili vehementius inhiabat et provincias regni sui variis calumniis atque indictionibus onerabat, ut de illo praecipue diceretur: rex egens magnus est calumniator. Dedit autem licentiam, Zenone imperatore, atque Placidia relicta Olybrii rogantibus, ut carthaginensis ecclesia sibi quem vellet episcopum ordinaret, quae jam per viginti quatuor annos tali ornamento fuerat destituta.

2. Mittit ergo tunc ad ecclesiam Alexan-

drum illustrem, hujusmodi legationem ferentem, ut in praesentia ejus catholicus populus dignum sibi peteret sacerdotem, destinans quoque per notarium suum, nomine Vitarit (*edit.*, Vitared), edictum quod publice legeretur, hunc continens modum: „Jussit vobis dominus noster dici (*al.* dicere), quia imperator Zenon et nobilissima Placidia per Alexandrum virum illustrem scripserunt, petentes ut Ecclesia Carthaginis religionis vestrae proprium episcopum habeat. Hoc fieri praecepit, atque eis rescripsit vel legatis ab eis directis dici jussit, ut sicut petierunt vobis episcopum quem volueritis ordinetis, sub eo tenore, ut nostrae religionis episcopi, qui apud Constantinopolim sunt et per alias provincias Orientis, ex ejus praecepto liberum arbitrium habeant in ecclesiis suis, quibus voluerint linguis populo tractare et legem christianam colere: quemadmodum vos hic, vel in aliis ecclesiis, quae in provinciis africanis constitutae sunt, liberum arbitrium habetis (*al.* habebitis), in ecclesiis vestris missas agere, vel tractare et quae legis vestrae sunt, quemadmodum vultis, facere. Nam si hoc circa eos non fuerit observatum (*al.* reservatum), tam episcopus, qui ordinatus fuerit, quam clerici,

sed et alii episcopi cum clericis suis, qui in africanis provinciis sunt, jubebuntur inter mauros mitti.“ Quod edictum dum nobis praesentibus, quarto decimo calendarum Juliarum (*edit.* 2. Juniarum) universae ecclesiae legeretur, gemere coepimus mussitantes, eo quod meditantibus dolos malorum esset futura persecutio praeparata. Et ita legato dixisse probamur: „Si ita est, interpositis his conditionibus periculosis, haec ecclesia episcopum non delectatur habere. Gubernat (*al.* Gubernet) eam Christus, qui semper dignatus est gubernare.“ Quam suggestionem legatus accipere neglexit. Simul et populus, ut tunc fieret, ut ignis exarsit, cujus erat clamor intolerabilis, qui nulla posset ratione sedari.

3. Ordinato itaque episcopo Eugenio, viro sancto Deoque accepto, sublimis nata est laetitia et gaudium cumulatum est Ecclesiae Dei. Exsultat multitudo catholica sub barbara dominatione, de ordinatione pontificis reparati. Nam maximus numerus juvenum atque adolescentularum, sibimet in commune congaudens, attestabatur quod nunquam vidisset episcopum in throno sedentem. Porro ille vir Dei, sacerdos Eugenius coepit per conversationem operum bonorum

venerabilis et reverendus haberi, etiam ab eis qui foris sunt et ita esse omnibus gratus, ut, si fas esset, animam suam pro eodem universos ponere delectaret. Eleemosynas quoque tales per eum Dominus dignatus est facere, ut incredibile videatur tanta eum impendere, ubi Ecclesia, totum barbaris tenentibus, nec unius nummi habere cognoscitur facultatem. Humilitatem in illo, caritatem, pietatem divinitus condonatam, si quisquam incipiat laudare, non poterit explicare. Pecuniam apud eum nunquam mansisse probatur, nisi forte tali hora offerretur, quando jam sol diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordinem daret et locum. Tantum (*al. additur* sibi) reservabat quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset, Deo nostro subinde quotidie ingentia et majora donante. Sed cum fama ejus esset ubique celebris atque manifesta, coeperunt exinde arianorum episcopi invidia gravi torqueri, quotidianis et praecipue Cyrila eum calumniis insectantes. Quid plurimum? Suggerunt regi de illo, ut suum nequaquam sederet thronum, neque ad Dei populum verbum faceret consuetum. Deinde (ut) quoscunque mares vel feminas in habitu barbaro incedentes in ecclesia conspi-

ceret, prohiberet. Ille respondit ut decuit. Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere. Maxime quia ingens fuerat multitudo nostrorum catholicorum, in habitu illorum incedentium, ob hoc quod domui regiae serviebant.

4. At ubi ab homine Dei tale responsum accepit, statuit in portis ecclesiae collocari tortores: qui videntes feminam vel masculum in specie suae gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis, ac vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli autem, dum hoc fieret, statim oculos amiserunt, alii ipso dolore defuncti sunt. Mulieres vero post hanc poenam, capitibus pelle nudatis praecone praeeunte per plateas, ad ostensionem totius civitatis ducebantur. Quod sibi magis quae patiebantur, lucrum maximum computabant. Quorum nos plurimos novimus, nec scimus aliquem eorum tunc, etiam poenis urgentibus, a recto itinere destitisse. At ubi isto modo fidei infringere non valuit murum (*al.* ullum), cogitat ut nostrae religionis homines in aula ejus constituti, neque annonis, neque stipendiis solitis potirentur. Addidit quoque et laboribus

eos conterere rusticanis. Dirigit viros ingenuos et admodum delicatos ad campum uticensem, ut sub ardentis solis incendio cespites messium desecarent. Ubi omnes cum gaudio pergentes, in Domino laetabantur. In quorum contubernio quidam fuit aridam habens manum, quae per annos quamplurimos nullum ei praestiterat obsequium. Qui cum veraciter excusaret se operari non posse, magis violenter jussus est pergere. Sed ubi ad locum ventum est et praesertim pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate divina illa arida incolumis confessori restituta est manus. Hinc jam Hunerici persecutio doloris atque parturitionis nostrae sumpsit initium.

5. Ipse autem qui sese jam dudum omnibus lenem ostenderat, desiderans post obitum suum filiis, quod [1]) non contigit, regnum statuere, Theodoricum fratrem filiosque ejus, Gentonisque fratris nihilominus filios cru-

---

[1]) Nondum revera contigerat, cum hanc historiam scriberet Victor, anno scilicet 489; sed postea tamen contigit, quando defunctis Guntamundo et Trasamundo, Hildericus, Hunerici ex Eudoxia filius, regnum obtinuit, pacemque reddidit Ecclesiae africanae, ut fusius ostendit Ruinart in commentario historico, capite 12.

deliter coepit insequi. Quorum nullum dimitteret, nisi ei mors desiderii sui voluntatem auferret. Primo sciens uxorem Theodorici fratris astutam, credo, ne forte maritum aut majorem filium, quia (*al.* qui) prudens et sapiens videbatur, consiliis acrioribus adversus tyrannum armaret, crimine imposito, gladio eam interfici jubet. Postquam occiditur et ille filius magnus (*al.* magnis) literis institutus, cui secundum constitutionem Geiserici, eo quod major omnibus esset, regnum inter nepotes potissimum debebatur. Accenditur adhuc crudelius aliquid perpetrare. Astante vulgo in media civitate pro gradibus plateae novae, episcopum suae religionis, nomine Jocundum, quem patriarcham vocitabant, praecepit incendio concremari, ob hoc quod in domo Theodorici germani regis acceptissimus habebatur; cujus forte suffragio memorato domus regnum poterat obtinere. In quo impietatis scelere futurum nobis adesse prospeximus malum, ajentes invicem singuli nobis: Qui in suo ita crudelis effectus est sacerdote, quando nostrae religioni, vel nobis parciturus est iste? Tunc et Gentonis majorem filium, nomine Godagis, cum uxore, absque solatio servi aut ancillae crudeli exsilio delegavit.

Fratrem vero Theodoricum, post occisionem uxoris et filii, nudum atque destitutum similiter relegavit. Post cujus mortem filium qui supererat, infantulum, duasque filias ejus adultas, impositas asinis, longius affligendo projecit. Sed et comites quamplurimos et nobiles gentis suae objectionibus falsis insectans, ob hoc quod germano suo faverent, alios incendit, alios gladio jugulavit; imitator existens Geiserici patris, qui sui fratris uxorem ligato pondere lapidum in Ampsagam fluvium cirtensem famosum jactando demersit, et post necem matris etiam filios interfecit. Sed et multos ei Geisericus pater moriens sacramento interposito commendaverat: quos ille immemor fidei et sacramenti violator, diversis poenis et incendiis trucidavit. Nam Heldicum quendam, quem pater ejus praepositum fecerat regni, jam veteranum atque annosum cum dedecore capite truncavit; ejusque uxorem cum alia, nomine Theucaria, in medio civitatis incendit. Quarum corpora per vicos et plateas trahi mandavit, quae tota die jacentia, rogatus a suis episcopis vix vespere sepeliri concessit. Camut namque Heldici fratrem, quia ad ecclesiam eorum confugerat, occidere non potuit; quem tamen in loco

latrinarum obsceno (*Lor.*, obscuro) conclusit, multoque eum ibi tempore degere statuit. Postea cum caprario quodam et rustico, ad faciendas scrobes vineis profuturas condemnavit: quos etiam duodecies per annum, id est, per singulos menses, flagellis crudelibus dissipabat; vix modico aquae cibariique panis concesso. Hoc per quinque vel amplius perpessi sunt annos; quibus haec supplicia proficere poterant ad aeternam mercedem, si catholici fuissent et fidei suae merito ista perferrent. Sed ideo istud silere nequivimus, ut impietas regis etiam in suis minime sileretur, qui non solum episcopum suum Jocundum, ut superius demonstravimus, flammis adussit, sed et presbyteros et diaconos suos, id est arianos, quamplurimos incendit, nec non et bestiis mancipavit.

6. Amputatis igitur in brevi omnibus quos timebat, et solidans sibi, ut putabat, regnum, quod breve futurum erat et caducum, omni ex parte otiosus atque securus, universa tela furoris in persecutiones Ecclesiae catholicae, rugiens sicut leo, convertit. Ante persecutionis tamen tempestatem, multis praeeuntibus visionibus et signis imminens demonstratum fuerat malum. Nam

ferme ante biennium quam fieret, vidit quidam Fausti ecclesiam solito in ornatu fulgentem, cereis quoque fulgentibus, palliorumque velamine ac lampadibus rutilantem. Et dum laetaretur candore tanti fulgoris, subito, ait, luminis illius concupiscibilis exstinctus est fulgor, ac tenebris succedentibus adversarius naribus natus est fetor: omnisque illa albatorum turba, expellentibus quibusdam aethiopibus minata[1]) est foras: ob hoc jugiter lamentans, quod eam in claritate pristina nequaquam viderit iterum restitutam. Nam visionem istam nobis praesentibus sancto retulit Eugenio. Vidit et quidam presbyter ipsam Fausti basilicam refertam turbis innumerabilium populorum et post paululum evacuatam et repletam porcorum multitudine atque caprarum. Item alius vidit aream triticeam ventilationi paratam, granis adhuc ventilatoris judicio necdum a palea separatis, et dum ingentis massae, licet confusae, magnitudinem miraretur, subito ecce turbo veniens tempestatis, sonivago flatu coepit adventum suum surgente pulvere demonstrare. Cujus impetu palea illa omnis omnino volavit, remanen-

---

[1]) *Minata*, ejecta est.

tibus granis. Post haec venit quidam procerus, splendido vultu habituque nitido fulgens, qui coepit grana vacua macilenta atque similagini reproba [1]) purgando projicere. Quae diu examinans, vix magnitudinem illius massae, licet probatae, ad acervum tamen perduxit exiguum. Item alius ait: Stabat quidam praecelsus super montem, qui Ziquensis dicitur, et clamabat dextera laevaque: Migrate, migrate. Alius conspexit rugiente coelo atque turbato sulphureas nubes, ingentes lapides jaculari: qui lapides dum cecidissent in terram, plus accendebantur et majoribus flammis ardebant, atque intrantes in penetralia domorum, quos invenerant incendebant. Qui autem vidit, ait, quia cum se in quodam cubiculo abscondisset, miseratione divina ad eum flamma non potuit pervenire: reor ut illud propheticum compleretur: *Claude ostium tuum et abscondere aliquantulum, donec transeat ira Dei* (Isai. 26, 20). Vidit et venerabilis Paulus episcopus arborem usque ad coelos ramis florentibus extensam, quae etiam dilatione sua omnem pene (*al. deest* pene)

---

[1]) *Similagini reproba,* inepta ut exinde similago fieret.

Africam opacabat. Et cum universi ejus magnitudine et speciositate gauderent: ecce subito, inquit, venit asinus violentus, qui defricans cervicem suam super robur radicum ejus, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram. Sed et Quintianus honorabilis episcopus vidit se super quendam montem stare, de quo conspiciebat gregem innumerabilium ovium (*al. additur* suarum) et in medio gregis duae erant ollae nimium bullientes. Aderant autem ovium occisores, qui earum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cum ita fieret, omnis illa magnitudo gregis consumpta est. Reor ego illas duas ollas, Siccensem et Larensem duas esse civitates, in quibus multitudo prima fuerat congregata et a quibus incendium initium sumpsit; aut Hunericum regem et Cyrilam episcopum ejus. Sed de multis visionibus, quia brevitati consulendum fuit, haec dixisse sufficiat.

7. Quid ultra? Censet primo tyrannus jussione terribili, ut nemo in ejus palatio militaret, neque publicas ageret actiones[1]), nisi sese arianum fecisset. Quorum ingens

---

[1]) *Neque publicas ageret actiones*, ne scil. apud tribunalia, judices causam ageret suam.

numerus vigore invicto, ne fidem perderet, militiam temporalem abjecit. Quos postea domibus projectos, omnique substantia exspoliatos, in insulas Siciliam et Sardiniam relegavit. Quin etiam statuere per totam Africam festinavit, ut nostrorum episcoporum defunctorum fiscus sibi substantiam vindicaret. Qui autem defuncto succedere poterat, non ante ordinaretur, nisi fisco regali quingentos solidos obtulisset. Sed hoc aedificium, ubi construere nisus (*Lor.*, visus) est diabolus, statim illud destruere dignatus est Christus. Suggerunt ei domestici sui, dicentes: Si istud firmaverit praeceptio vestra, nostri episcopi, qui sunt in partibus Thraciae et aliis regionibus constituti, pejora incipient pati. Praecepit deinde sacras virgines congregari, dirigens vandalos cum suae gentis obstetricibus ad inspicienda et contrectanda contra jura verecundiae verecunda pudoris, ubi nec matres aderant, nec aliqua catholicarum matronarum. Quas torquentes (*al.* cruciantes) gravi suspendio, atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminasque ferri ignitas dorso, ventri, mamillis et lateribus apponebant. Quibus inter supplicia dicebatur: Dicite quoniam episcopi vobiscum concumbunt et clerici ve-

stri; quarum acerbitate poenarum plurimas tunc scimus exstinctas. Aliae, quae remanserunt, cutibus arescentibus factae sunt curvae. Nitebantur enim semitam invenire per cujus aditum publicam, sicut fecit, faceret persecutionem. Et ita faciens, nullo modo investigare potuit, quomodo Christi Ecclesiam macularet.

8. Quibus autem prosequar fluminibus lacrymarum, quando episcopos, presbyteros, diaconos et alia Ecclesiae membra, id est, quatuor millia nongentos septuaginta sex ad exsilium eremi destinavit? in quibus erant podagrici quam plurimi, alii propter aetatem annosam lumine temporali privati. In quorum erat numero beatus Felix abbiritanus episcopus, habens jam in episcopatu quadraginta quatuor annos, qui paralysis morbo percussus, nec sentiebat quidquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non posset jumento portari, suggessimus ut a suis rex peteretur, ut saltem eum propere moriturum Carthagini esse juberet, quia ad exsilium nulla posset ratione perduci. Quibus ita fertur tyrannus cum furore dixisse: Si animali sedere non potest, jungantur boves indomiti, qui eum colligatum funibus trahendo per-

ducant quo ego praecepi. Quem ex transverso super burdonem [1]) vinctum, quasi quendam ligni truncum, toto itinere portabamus.

9. Congregantur universi in siccensem et larensem civitates, ut illuc occurrentes mauri sibi traditos ad eremum perducerent. Supervenientes igitur comites duo subtilitate damnabili, blandis sermonibus cum Dei confessoribus agere coeperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur, ut ita pertinaces sitis et domini nostri praeceptis minime obtemperetis, qui esse poteritis in conspectu regis honorabiles, si ejus festinetis facere voluntatem? Statim illis ingenti vociferatione clamantibus et dicentibus: Christiani sumus, catholici sumus: Trinitatem unum Deum inviolabiliter confitemur, includuntur graviori quidem, sed adhuc latiori custodia; ubi nobis copia dabatur introire et verbum admonitionis fratribus facere et divina mysteria celebrare. Ibi et infantuli fuere quamplurimi, quos (*Lor.*, qui) genitrices materno sequebantur affectu, aliae gaudentes, aliae tristes, aliae retrahentes: aliae gaudebant se martyres perperisse, aliae moliendo, diluvio

---

[1]) *Super burdonem*, speciem muli.

rebaptizationis nitebantur a confessione fidei revocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram. Nam quaedam tunc quid fecerit anus, breviter referre delectat. Dum iter ageremus cum Dei exercitu comitantes et forte magis noctibus promoveremus propter solis ardorem, conspicimus mulierculam sacculum et alia vestimenta portantem, manu infantulum unum tenentem, atque his sermonibus consolantem: Curre, domine meus. Vides universos sanctos, quomodo pergunt et festinant hilares ad coronam? Quam nos cum increparemus, quod importuna videretur, aut viris pro sexu jungi, aut exercitui Christi sociari, respondit: Benedicite, benedicite, et orate pro me et pro isto parvulo nepote meo; quia, etsi peccatrix, filia sum quondam suritanae civitatis episcopi. Cui nos: Et quare ita abjecte ambulas, vel qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonstraris? Quae respondit: Cum hoc parvulo servo vestro ad exsilium pergo, ne inveniat eum solum inimicus et a via veritatis revocet ad mortem. Ad haec verba repleti lacrymis nihil dicere valuimus, nisi ut voluntas Dei fieret.

10. Sed ubi adversarius, qui jam forte di-

cebat: *Partibor spolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea* (Exod. 15, 9.), nullum potuit occupare (*al.* aucupari); inquirit angusta et teterrima loca, in quorum conclavibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam visitationis humanae negata est consolatio. Puniuntur et custodes fustibus, et graviter affliguntur; jactantur confessores Christi super invicem, angustia coarctante, unus super alium, ut agmina locustarum et, ut proprie dicatur, ut grana pretiosissima frumentorum. In qua constipatione secedendi ad naturale officium nulla ratio sinebat; sed locum stercoris et urinae urgente necessitate, ibidem faciebant, ut ille tunc fetor et horror universa poenarum genera superaret: ad quos aliquando dato ingenti munere mauris, dormientibus vandalis, vix clam admissi sumus intrare. Qui introeuntes, veluti in gurgite luti, usque ad genua coepimus mergi; illud tunc Hieremiae videntes fuisse completum: *Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora sua* (Thren. 4, 5). Quid multa? praecepti sunt undique perstrepentibus mauris, ad iter ubi destinati fuerant praeparari.

11. Exeuntes itaque die dominica, linita

habentes stercoribus vestimenta, facies simul et capita, a mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exsultatione Domino decantantes: *Haec est gloria omnibus sanctis ejus* (Psal. 149, 9). Aderat enim ibi tunc beatus pontifex Cyprianus unizibirensis episcopus, consolator egregius, qui singulos pio et paterno fovebat affectu, non sine fluminibus currentium lacrymarum: paratus pro fratribus animam ponere et se ultroneum, si dimitteretur, talibus passionibus dare, qui totum quod habuit, egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit: quaerebat enim occasionem, qualiter confessoribus sociaretur, ipse animo et virtute confessor. Qui postea per multos agones et squalores carceris, ad exsilium quod desiderabat, cum exsultatione perrexit. Quantae et tunc multitudines de diversis regionibus et civitatibus, ad visendos Dei martyres occurrerint populorum, testantur viae vel semitae: quae cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium et concava vallium concurrentes turbae fidelium inaestimabiles descendebant, cereos manibus gestantes, suosque infantulos vestigiis martyrum projicientes, ista voce clamabant: Quibus nos miseros relinquitis,

dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquae perennis? qui nobis poenitentiae munus (al. manus) collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi[1])? quia vobis dictum est: *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis* (Matth. 18, 18). Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? aut a quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus? vobiscum et nos libeat pergere, si liceret, ut tali modo filios a patribus nulla necessitas separaret. In his vocibus vel lacrymis et laudibus nullus jam pergere admissus est consolator; sed arctabatur multitudo ad currendum, ut ubi cannava erat praeparata, laboriosam caperet mansionem. Qui cum senes deficerent et alii forte, etsi juvenes, delicati corpore, coeperunt hastilium cuspidibus ad currendum et lapidibus tundi: unde magis deficientes, amplius lassabantur.

12. Post vero imperatum est mauris, ut eos, qui ambulare non poterant, ligatis pe-

---

[1]) Insignis plane locus pro sacramento poenitentiae, quem quidem alias jam illustravimus scil. opusc. t. 5. p. 212. annot.

dibus, velut cadavera animalium mortuorum, traherent per dura et aspera lapidum loca, ubi primo vestimenta, postea membra singula carpebantur. Quibus per gladios acutos petrarum huic (*al.* hic . . . alibi) caput conterebatur, alii latera findebantur et ita inter trahentium manus spiritum exhalabant. Quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coercente; exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis sepultura sanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad solitudinis loca perveniunt, in quibus collocati (*Colb.* 1. colligati), hordeum ad vescendum ut jumenta accipiunt. Ubi etiam venenatorum animalium atque scorpionum tanta esse dicitur multitudo, ut ignorantibus incredibilis videatur, quae solo flatu etiam procul positis veneni virus infundit. Ab scorpione enim percussum, nullum dicunt aliquando evasisse. Quorum feritas virulenta usque ad praesens tempus, Christo defendente, nullum servorum ejus nocuisse docetur. Sed cum illic aluntur hordeaceis granis, postea et hoc ablatum est, quasi non posset Deus, qui pluerat patribus manna, pascere et nunc tali exsilio mancipatos.

13. Cogitat acriora adversus Ecclesiam

Dei, ut qui membra aliqua absciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die Ascensionis Domini, legato Zenonis imperatoris Regino praesente, legendum in media ecclesia episcopo Eugenio dirigit praeceptum, tali tenore conscriptum, quod etiam universae Africae veredariis (*al.* veredis) currentibus destinavit.

Hunerici regis praeceptum

Eugenio Carthaginensi, ceterisque episcopis catholicis per universam Africam constitutis, directum, ut ad fidei suae reddendam rationem Carthaginem veniant.

Rex Hunerix vandalorum et alanorum, universis episcopis omousianis[1]).

Non semel, sed saepius constat esse prohibitum, ut in sortibus vandalorum sacerdotes vestri conventus minime celebrarent, ne sua seductione animas subverterent christianas. Quam rem spernentes plurimi, nunc reperti sunt contra interdictum missas in sortibus vandalorum egisse; asserentes se

---

[1]) *Omousianis.* Ita ab arianis per contemptum vocabantur catholici, quod cum concilio nicaeno Filium Patri ὁμοούσιον profiterentur. — *In sortibus*, in locis, qui ad vandalorum spectant sortem, possessionem.

integram regulam christianae ac verae fidei tenere. Et quia in provinciis a Deo nobis concessis scandalum esse nolumus, ideo Dei providentia, cum consensu sanctorum episcoporum nostrorum hoc nos statuisse cognoscite, ut ad diem calendarum Februariarum proxime futurarum, omissa omni excusatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, ut de ratione fidei cum nostris venerabilibus episcopis possitis inire conflictum et fidem omousianorum, quam defenditis, de divinis (*al.* diversis) Scripturis proprie approbetis, quo possit agnosci, si integram fidem teneatis. Hujus autem edicti tenorem universis episcopis (*al.* coepiscopis) tuis per universam Africam constitutis direximus. Data sub die decimo tertio calendas Junias, anno septimo regni Hunerici.

14. Cognoscentes igitur qui aderamus, simulque legentes, contritum est extemplo cor nostrum et contenebrati sunt oculi nostri et vere tunc dies festi nostri conversi sunt in luctum et cantica in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futurae persecutionis furorem et praesertim ubi dixit: *In provinciis a Deo nobis concessis scandalum esse nolumus*, quasi diceret: In provinciis nostris catholicos esse nolumus.

Tractatum est quid fieret. Nullum invenit remedium imminens calamitas, nisi ut a sancto Eugenio rationabilis, si cor barbarum molliretur, suggerenda daretur, tali textu conscripta.

Sancti Eugenii responsio.

Suggerenda Hunerico regi data ab Eugenio episcopo carthaginensi, ut ad collationem de communis fidei causa habendam etiam transmarini episcopi vocentur.

Quoties animae vel vitae aeternae ac fidei christianae causa tractatur, intrepide (sicut regalis providentia compromisit) necesse est, ut quod competit suggeratur. Nuper potestas regia per Witarit (*al.* Witaredum) notarium parvitatem meam admonere dignata est, qui nobis de merito ac religione fidei praeceptum ejus in ecclesia praesente clero et plebe recensuit. Ex cujus tenore cognovimus, ad omnes coepiscopos meos praeceptum regium similiter emanasse, ut die constituta pro disputatione fidei veniatur, quod nos venerabiliter accepisse suggessimus. Cui praefato notario humilitas mea suggessit, debere etiam transmarinarum omnium partium, qui nobiscum sunt in una religione vel communione consortes, agnoscere; quia

ubique regno ejus obtemperant universi: maxime quod totius mundi sit causa, non specialis provinciarum africanarum tantummodo. Et quia secundo responso suggerendam me promisi oblaturum, merito suppliciter peto (*al.* precor) magnificentiam tuam, ut ad domini et clementissimi regis aures memoratam suggestionem meam perferre digneris, quo ejus clementia dignanter agnoscat, nos disputationem legis, cum Dei adjutorio nullatenus declinare vel fugere; sed sine universitatis assensu, nos non debere asserendae fidei nostrae causas assumere. Quod petimus ut benignitate, qua tantus est, et justitia sapientiae suae dignetur annuere. Data ab Eugenio episcopo Ecclesiae catholicae Carthaginis.

15. Sed cum haec suggestio a beato Eugenio offerretur, illi qui jam conceperat dolorem, urgebatur iniquitatem gravius parturire, et ita sancto viro Eugenio episcopo per Cubadum praepositum regni sui mandasse videtur: Subde mihi universum orbem terrarum, ut sub potestate mea totus mundus redigatur et facio, o Eugeni, quod dicis. Ad quod beatus Eugenius respondit ut potuit (*al.* decuit): Quod rationem, inquit, non habet, dici non debuit. Sic est hoc, quomodo

si dicatur homini, ut per aëra feratur et volitet, quod moris non est humanae naturae. Dixi enim, si nostram fidem, quae una et vera fides est, potestas regis agnoscere desiderat, mittat ad amicos suos: scribam et ego fratribus meis, ut veniant coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare et praecipue Ecclesia romana, quae caput est omnium Ecclesiarum. Ad haec Cubadus: Ergo tu et dominus meus rex, similes estis? Eugenius episcopus dixit: Ego similis regi non sum; sed dixi: Si veram cognoscere desiderat fidem, scribat amicis suis, ut dirigant nostros catholicos episcopos, et ego scribo coepiscopis meis, quia catholicae fidei universae una est causa. Hoc agebat Eugenius, non quod deessent in Africa, qui adversariorum objecta refellerent, sed ut illi venissent, qui alieni ab eorum dominatu, majorem fiduciam libertatis haberent, pariterque oppressionis nostrae calumnias universis terris et populis nunciarent.

16. Ille autem, qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, ut quoscunque episcoporum audierat eruditos, variis insectationibus agitaret. Jam ad exsilium vibianense secundo Dona-

tianum[1]) impositis centum quinquaginta fustibus miserat episcopum, necnon et sufetulensem Praesidium, virum satis acutum. Tunc et venerabiles Mansuetum, Germanum, Fusculum et multos alios fustigavit. Dum haec geruntur, imperat ut cum nostrae religionis viris illorum mensam nullus communem haberet, neque cum catholicis omnino vescerentur. Quae res non ipsis aliquod praestitit beneficium, sed nobis maximum contulit lucrum. Nam si sermo eorum, dicente Apostolo, sicut cancer consuevit serpere (2. Tim. 2, 17.), quanto magis communis mensa ciborum poterit inquinare, cum dicat idem apostolus, cum nefariis nec cibum habere communem (1. Cor. 5, 11)?

17. Sed cum ignis jam persecutionis accenderetur et flamma infestantis ubique regis arderet, ostendit Deus noster quoddam miraculum per servum suum fidelem Eugenium, quod praeterire non debeo. Fuit in eadem civitate, id est Carthagine, quidam caecus civibus civitatique notissimus, nomine Felix. Hic visitatur a Domino, dicitur-

---

[1]) *Donatianus.* Hujus et eorum, quos mox nominat, memoria agitur in martyrologio romano ad 6. Sept.

que ei nocte per visum, dies enim Epiphaniorum illucescebat: Surge, vade ad servum meum Eugenium episcopum et dices ei, quia ego te ad illum direxi. Et illa hora, qua benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos et aperientur et videbis lumen. Qui tali visione commonitus, putans se, quomodo assolet, deludi per somnium, surgere noluit caecus. Sed cum iterum urgeretur in somnum, similiter ut ad Eugenium pergeret, compellitur. Rursus negligit, tertioque festinanter et graviter increpatur. Excitat puerum, qui ei solitus erat manum porrigere. Pergit veloci agilitate ad Fausti basilicam, orat et veniens cum ingentibus lacrymis, suggerit cuidam subdiacono nomine Peregrino, ut eum episcopo nunciaret, indicans se habere aliquod secreti genus intimandum. Audiens episcopus jussit hominem introire. Jam enim ob celebritatem festivitatis hymni nocturni per totam ecclesiam canente populo concrepabant. Indicat caecus antistiti ordinem visionis suae, dicitque illi: Non te dimittam nisi mihi, sicut a Domino jussus es, reddideris oculos meos. Cui sanctus Eugenius: Recede a me, frater; peccator sum et indignus et super omnes homines delinquens, utpote et qui

in haec tempora servatus sum. Ille autem tenens genua ejus, aliud non dicebat, nisi illud, quod jam dixerat: Sicut jussum est, redde mihi oculos meos. Attendens quoque Eugenius inverecundam credulitatem et quia jam tempus urgebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum ad fontem. Ubi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus coelum, crispantem benedixit alveum fontis et cum completa surrexisset oratione, ita caeco respondit: Jam tibi dixi, frater Felix, peccator homo ego sum; sed qui te visitare dignatus est, praestet tibi Dominus secundum fidem tuam et aperiat oculos tuos. Simulque vexillo crucis consignat oculos ejus. Statim caecus visum, Domino reddente, recepit. Quem secum, quousque universi baptizarentur, ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret qui receperat lumen. Fit postea manifestum Ecclesiae universae. Procedit ad altare cum Eugenio, sicut moris est, qui fuerat caecus, suae salutis oblationem Domino redditurus. Quam episcopus accipiens altari im, osuit. Fit strepitus gaudio provocante irrevocabilis populorum. Statim nuncius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo, quid factum sit, qualiterque

receperit lumen. Dicit ille ex ordine totum, dicuntque arianorum episcopi: Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppressi confusione lumen non poterant nubilare, eo quod Felix universae civitati manifestus esset et notus; tamen volebant eum, si fas esset, necare, quomodo judaei suscitatum Lazarum cupiebant occidere (Joan. 12, 10).

16. Appropinquabat jam futurus dies ille calumniosus calendarum Februariarum, ab eodem statutus. Conveniunt non solum universae Africae, verum etiam insularum multarum episcopi, afflictione et moerore confecti. Fit silentium diebus multis, quousque peritos quosque et doctissimos viros interim separaret (*al.* exinde superaret), calumniis appositis enecandos. Nam unum ex ipso choro doctorum nomine Laetum[1]), strenuum atque doctissimum virum, post diuturnos carceris squalores incendio concremavit, aestimans tali exemplo timorem incutiens, reliquos se elisurum. Tandem venitur ad disputationis conflictum, ad locum scilicet, quem delegerant adversarii. Evitantes igitur

---

[1]) Hic fuit episcopus neptitanus in Byzacena. Ejus memoriam simul cum supra recensitis confessoribus celebrant martyrologia die 6. Sept.

nostri vociferationis tumultus, ne forte postmodum ariani dicerent, quod eos nostrorum oppresserit multitudo, deligunt de se nostri, qui pro omnibus responderent decem. Collocat sibi Cyrila cum suis satellitibus in loco excelso superbissimum thronum astantibus nostris (*al.* nobis). Dixeruntque nostri episcopi: Illa semper est grata collatio, ubi superba non dominatur potestatis elatio; sed ex consensu communi venitur, ut cognitoribus discernentibus, partibus agentibus, quod verum est agnoscatur. Nunc autem quis erit cognitor, quis examinator, ut libra justitiae aut bene prolata confirmet, aut prave assumpta refellat? Et cum talia et alia dicerentur, notarius regis respondit: Patriarcha Cyrila dixit. Ad quod superbe et illicite sibi nomen usurpatum nostri detestati dixerunt: Legatur nobis quo concedente istud sibi nomen Cyrila assumpsit. Et exinde strepitum concitantes, calumniari adversarii coeperunt. Et quia hoc nostri petierant, ut saltem, si examinare non licebat, prudenti multitudini vel exspectare liceret: jubentur universi filii catholicae Ecclesiae qui aderant, centenis fustibus tundi (*al.* caedi). Tunc clamare coepit beatus Eugenius (*Lor.*, Eusebius): Videat Deus vim,

quam patimur, cognoscat afflictionem et persecutionem, quam a persecutoribus sustinemus. Conversique nostri, Cyrilae dixerunt: Propone quod disponis. Cyrila dixit: Nescio latine (Colb. 1. *addit* loqui). Nostri episcopi dixerunt: Semper te latine esse locutum manifesto novimus; modo excusari non debes, praesertim quia tu hujus rei incendium suscitasti. Et videns catholicos episcopos ad conflictum magis fuisse paratos, omnino volebat audientiam diversis cavillationibus declinare. Quod ante nostri praevidentes, libellum de fide conscripserant, satis decenter sufficienterque conscriptum, dicentes: Si nostram fidem cognoscere desideratis, haec est veritas quam tenemus.

LIBER TERTIUS.

Professio fidei Catholicorum episcoporum Hunerico regi oblata.

1. Regali imperio fidei catholicae, quam tenemus, praecipimur reddere rationem, ideoque aggredimur pro nostrarum virium mediocritate, divino fulti adjutorio, quae credimus vel praedicamus breviter intimare. Primum igitur de unitate substantiae Patris et Filii, quod Graeci ὁμοούσιον dicunt, exponendum nobis esse cognoscimus. Patrem

ergo et Filium et Spiritum sanctum ita in unitate Deitatis profitemur, ut et Patrem in suae proprietate personae subsistere et Filium nihilominus in propria exstare persona, atque Spiritum sanctum personae suae proprietatem retinere fideli confessione fateamur. Non eundem asserentes Patrem, quem Filium, neque Filium confitentes qui Pater sit, aut Spiritus sanctus; neque ita Spiritum sanctum accipimus, ut aut Pater sit aut Filius; sed ingenitum Patrem et de Patre genitum (*al.* natum) Filium et de Patre et Filio procedentem Spiritum sanctum, unius credimus esse substantiae vel (*Lor.*, et) essentiae: quia ingeniti Patris et geniti Filii et procedentis Spiritus sancti una est deitas, tres vero personarum proprietates. Et quia contra hanc catholicam vel apostolicam fidem exorta haeresis novitatem quandam induxerat, asserens Filium non de (*al.* ex) Patris substantia genitum (*al.* natum), sed ex nullis exstantibus, id est ex nihilo substitisse: ad hanc impietatis professionem, quae contra fidem emerserat, refellendam et penitus abolendam, ἑμοούσιον sermo graecus positus est, quod interpretatur unius substantiae vel essentiae, significans Filium non ex ullis (*al.* nullis) exstantibus, nec ex

alia substantia, sed de Patre natum esse. Qui vero putat ὁμοούσιον auferendum, ex nihilo vult asserere Filium exstitisse. Sed ex nihilo non est, ex Patre sine dubio est et recte ὁμοούσιον, id est unius cum Patre substantiae, Filius est.

2. Ex Patre autem esse, id est unius cum Patre substantiae, his testimoniis approbatur[1]), Apostolo dicente: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, gerens quoque omnia verbo virtutis suae* (Hebr. 1, 3). Et iterum ipse Deus Pater incredulorum perfidiam objurgans, qui praedicantis per prophetas Filii vocem in sua substantia manentem audire noluerunt, dixit: *Non audierunt vocem substantiae* (Jer. 9, 10.), quam vocem substantiae contemptam (*edit.* cum tam) terribili contestatione increpans, ad eundem prophetam loquitur,

---

[1]) Bene probant hi episcopi, Filium Patri consubstantialem esse tum ex eo, quod ex nihilo non sit (n. praeced. et 5.), tum ex Hebr. 1, 3; tum ex pluribus N. T. effatis (n. seq.); sed minus apta videntur, quae ex Jer. 9, 10. et 23, 18, 22. adducunt. Cum tamen ita in sua qua utebantur versione (aliter enim vertuntur in nostra vulgata) legerent, praelucentibus verbis Pauli Hebr. 1, 3. mirum esse non debet, quod ea ratione analoga explicarent.

dicens: *Super montes accipite planctum et super semitas deserti luctum, quia defecerunt, eo quod non sint homines; non audierunt vocem substantiae a volatilibus coeli usque ad pecora* (Ibid.). Et rursum eos, qui a professione unius substantiae declinantes, in eadem fidei substantia stare noluerunt, increpat dicens: *Si stetissent in substantia mea, avertissem utique eos a via sua mala et a pessimis cogitationibus suis* (Jerem. 23, 22). Et iterum non extra substantiam Patris Filium confitendum, sed in eadem fideli oculo contuendum apertissime declaratur, dum dicitur per prophetam: *Quis stetit in substantia Domini et vidit et audivit verbum ejus* (Ibid., 18)? Patris ergo substantiam Filium esse, propheticis jam olim designatum est oraculis, dicente Salomone: *Substantiam enim et dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas* (Sap. 16, 21), quam in figura et imagine panis coelestis populo Israel coelitus apparet profluxisse. Quod ipse Dominus in Evangelio exposuit, dicens: *Non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo* (Joan. 6, 32); se utique panem ipse designans (*Lor.*, definiens), cum dicit: *Ego sum panis vivus, qui de coelo*

descendi (Ibid. 41). De quo etiam propheta David dicit: *Panem angelorum manducavit homo* (Psal. 77, 25).

3. Namque ut adhuc evidentius Patris et Filii substantiae unitas et divinitatis aequalitas ostendatur, ipse in Evangelio dicit: *Ego in Patre et Pater in me est.* Et: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. 10, 38, 30). Quod non ad unitatem tantummodo voluntatis, sed ad unam refertur eandemque substantiam, quia non dixit: Ego et Pater unum volumus; sed: *unum sumus.* Ex eo enim, quod sunt, non ex eo tantum, quod volunt, paternae unitatis declaratur assertio. Item Joannes evangelista dicit: *Propterea ergo quaerebant eum judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* (Joan. 5, 18). Quod utique non ad judaeos est penitus (*al.* potius) referendum, quia evangelista veraciter dixit de Filio, quia aequalem Deo se faciebat. Item in eodem Evangelio scriptum est: *Quaecunque Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (Ibid., 19). Et: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (Ibid., 21). Item: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*

(Ibid., 23). Aequalis enim honor non nisi aequalibus exhibetur. Item ibi Filius ad Patrem dicit: *Omnia mea tua sunt et tua mea* (Joan. 17, 10). Item: *Philippe, qui me videt, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem* (Joan. 14, 9)? Hoc non dixisset, nisi Patri per omnia fuisset aequalis. Item ipse Dominus dixit: *Creditis in Deum, et in me credite* (Ibid., 1). Et adhuc ut unitatem aequalitatis demonstraret, ait: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare* (Matth. 11, 27). Et sicut Filius cui vult revelat Patrem, ita et Pater revelat Filium, sicut ipse Petro ait confitenti eum Christum Filium Dei vivi esse: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est* (Matth. 16, 17). Et iterum Filius dicit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (Joan. 14, 6). Et: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus, qui misit me, attraxerit eum* (Joan. 6, 44). Unde claret aequalitas Patris et Filii, cum ad se invicem credentes adducunt. Item dicit: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo nostis eum, et vidistis eum* (Joan. 14, 7).

4. Verum quia duas in Filio profitemur esse naturas, id est Deum verum et hominem verum, corpus et animam habentem: quidquid de excellenti sublimitatis potentia de eo referunt Scripturae, admirandae ejus divinitati tribuendum sentimus: et quidquid infra honorem coelestis potentiae de eodem humilius enarratur, non verbo Dei, sed homini reputamus assumpto[1]). Secundum di-

---

[1]) *Homini reputamus assumpto.* Non negamus, ex divinis literis plura adduci posse, quae Filii divinitati adversari videntur. Singula expendere non licet, juverit tamen quaedam statuisse principia, quibus potiores saltem exponantur textus, qui opponi solent. Horum *primum* suppeditant hic ipsi episcopi africani, quod etiam saepe inculcant et alii patres: „Distinguamus, inquit Augustinus de Trinit. l. 1. c. 11. n. 22, quid in Scripturis sonat secundum formam Dei, in qua aequalis est (Filius) Patri, et quid secundum formam servi, in qua minor est Patre, (et) non conturbabimur tamquam contrariis et repugnantibus inter se ss. librorum sententiis.“ Cf. praeterea ib. n. 14.; l. 2. n. 2; Novatianus de Trinitate c. 25. al. 20; Faustinus de Trinitate c. 3. §. 3 ss.; auctor breviarii fidei adv. arianos in Migne patrol. lat. 13, 653 ss.; Athanasius or. 3. c. arianos n. 27. ss.; Hilarius, qui in ps. 54. n. 2. ita scribit: „Hic ergo (Deus Verbum) assumens carnis nostrae fragilitatem et manens *suus atque noster*, ita agit, orat, profitetur, exspectat omnia illa, quae nostra sunt, ut in

vinitatem ergo est hoc, quod superius diximus, ubi ait: *Ego et Pater unum sumus;*

---

his admisceat etiam illa, quae sua sunt, loquaturque interdum ex persona hominis, quia et homo natus et passus et mortuus est; interdum autem omnis ei secundum Deum sermo sit, quia ex Deo homo et ex Dei Filio hominis filius exstitisset, naturae scil. ejus confidentiam non oblitus etc.« Hinc cum ariani haec non satis distinguerent, imo confunderent, belle conqueritur Ambrosius de fide l. 3. c. 10. n. 65: »Ariani veluti judaici caupones miscent aquam cum vino, quia divinam humanamque generationem confundunt, ad Deitatem referentes, quod de carne sit dictum«, quibus similia habent Athanasius or. 3. c. arianos n. 35; ep. ad episc. Aegypti n. 17. et Gaudentius brixianus s. 19. — Subinde vero patres advertunt 2) Christum considerari posse triplici modo, ut Deum, ut hominem, ut caput corporis sui mystici i. e. Ecclesiae, pluraque de Christo dici, quae de ejus sunt intelligenda corpore mystico, de Ecclesia seu de Christo secundum ejus corpus; nam ut toties inculcat Augustinus (s. 137. n. 1.): »Cum ergo sit ille caput Ecclesiae et sit corpus ejus Ecclesia, *totus Christus et caput et corpus est.*« Hoc sensu nonnulli explicant profectum Christi in sapientia Luc. 2, 52, quatenus proficit in suis membris, cf. Hieronymus in Ephes. 1, 22; ignorationem diei judicii (Marc. 13, 32), quem revera ignorant fideles; ita Origenes tr. 30. in Matth.; pseudo-Athanasius in disp. c. Arium (Migne patrol. gr. 28, 474 s.); Epiphanius haer. 77. n. 26, 30; Gregorius turonensis in praef. l. 1. hist. francorum et Gregorius M. l. 10. ep. 39. ad Eu-

et: *Qui videt me, videt et Patrem*; et: *Omnia quaecunque Pater facit; eadem facit*

---

logium, ubi ita habet: „De eo vero, quod scriptum est: quia diem et horam neque Filius, neque angeli sciunt, omnino recte vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem Filium juxta quod caput est, sed juxta corpus ejus, quod nos sumus, certissime est referendum, qua de re multis in locis idem b. Augustinus eo sensu utitur.“ De verbis vero (Matth. 27, 46): *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, ait Athanasius de incarn. et c. arianos n. 2: „Ex nostra persona ista loquitur.“ Ita quoque Vigilius in Constituto ad c. 23. Theodori. In primis vero secundum hanc considerationem explicant 1. Cor. 15, 27. s. Omnium nomine audiatur Ambrosius l. 5. de fide c. 13: „Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeae communionem naturae, ita et ille . . . per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum judaeus agnoverit, quem crucifixit, cum manichaeus adoraverit, quem in carne venisse non credidit, cum arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit, cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, pax, charitas, resurrectio.“ Cf. c. 14.; in Ps. 36. n. 16; in Ps. 61. n. 8.; ep. 35. n. 8; Augustinus passim ut de Trin. l. 1. n. 15. ss.; tract. 21. in Joa.. n. 7. ss.; l. 83 qq. q. 69. n. 10.; enarr. 2. in Ps. 21. n. 3. s.; Basilius ep. 8. al. 141, n. 8; Gregorius Nyssenus or. in 1. Cor. 15, 27; Gregorius Nazianzenus or. 36; Hilarius de Trin. l. 9. n. 5. s., l. 11. n. 12; Hieronymus ep. 147. et l. 2. in ep. ad Gal. 5, 5; Cyrillus alex. in dial. quod unus est Christus (Mig.

Filius similiter, vel caetera, quae superius continentur. Illa vero, quae de eo secundum

---

75, 1326) et l. 2. ad reginas n. 18. etc. — 3) Filius est quidem Deus, sed Deus de Deo, Deus genitus. Cum ergo Filius omnia sua in Patrem refert, divinitatem sibi non negat, sed genitum se et filium, non *αὐτοθεὸν* et ingenitum, profitetur. Idcirco saepe, ait Cyrillus alex. l. 2. c. 9. in Joan. 5, 30, inculpate ac vere suorum operum potestatem tribuit Patri, non quod seipsum id posse neget, sed quod ad unius operationem deitatis omnia refert.« — 4) Sicut in V. Testamento unitas Dei inculcatur, ita et in novo, sed qua dilatata in Trinitatem, ut patres subinde loquuntur (cf. Thomassini de Trinit. c. 4). Progressu scil. revelationis professio unitatis Dei aucta est professione Trinitatis personarum. Ne ergo haec illam impediat, nomen Dei in divinis literis plerumque tribuitur Patri, qui est Filii et cum Filio Spiritus s. principium: Filio vero et Spiritui s. rarius tribuitur, praesertim si simul cum Patre nominantur: ejus vero loco alia adhibentur nomina, quae divinitatem quidem significant, sed personarum simul distinctionem tuentur. Ejusmodi nomen est praesertim nomen *Domini*, *κύριος*, quod in primis Filio tribuitur, nec minoris est dignitatis ac nomen *Dei*, cum LXX interpretes nomen Dei ineffabile nomine *κύριος* reddere soleant. Huc spectant verba Gregorii Nazianzeni or. 25. al. 23. n. 15.: „Quin pietatis nostrae doctrinam praescribe, sic nos instituens, ut Deum unum ingenitum agnoscamus Patrem, unum item genitum Dominum Filium, qui Deus quidem appellatur, quando per se et seorsim dicitur, Dominus autem, quando cum Patre nomina-

hominem referuntur, ista sunt: *Pater major me est* (Joan. 14, 28). Et: *Non veni facere*

---

tur, illud propter naturam, hoc propter unitatem principii.“ Nec minus praeclare Tertullianus c. Praxeam c. 13: „Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: *Ex quibus est Christus*, inquit, *Deus super omnia benedictus in aevum omne* (Rom. 9, 5). Nam et radium solis seorsum solem vocabo, solem autem nominans, cujus est radius, non statim et radium solem appellabo.“ Apostolum autem secuta est Ecclesia in symbolo apostolico et in Liturgia. Cf. Petavium de Trinit. l. 3. c. 1. — Denique 5) cum in divinis literis aliqua praerogativa divina (scil. absoluta et naturam divinam consequens) Deo vel Patri vindicatur, excluduntur quidem ab illius consortio personae creatae, quae alterius sunt naturae, non vero Filius, qui utpote genitus ejusdem cum Patre est naturae et omnia habet, quae Patris sunt, quocum unus est Deus. „Nam unus et solus, inquit Basilius ep. 8. al. 141. n. 3., de Deo dicuntur in Scripturis, non ad distinctionem a Filio aut Spiritu s., sed adversus eos, qui cum dii non sint, dii tamen falso nominantur.“ Ambrosius l. 5. de fide c. 2. n. 30: „Ut sciant autem cum *solum* legunt, nequaquam esse a Patre Filium separandum, meminerint a Deo dictum: *Ego extendi coelum solus* (Is. 44, 24), et utique non extendit sine Filio Pater,“ ut probat ex Prov. 8, 27; Hebr. 1, 10. Cf. Athanasius or. 3. contra arianos n. 7. ss. et auctor homiliae in Matth. 21, 23. (inter homil.

voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me (Joan. 6, 38). Et: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (Matth. 26, 39). Vel cum de cruce dixit: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (Matth. 27, 46)? Et iterum ex persona Filii propheta dicit: *De ventre matris meae Deus meus es tu* (Ps. 21, 11); vel cum *minor angelis* (Ps. 8, 6) indicatur et quam plura his similia, quae studio brevitatis non inseruimus. Filius ergo Dei nullis conditionum necessitatibus obstrictus, sed libera divinitatis potentia, ita quae nostra sunt, mirabili pietate assumpsit, ut a suis quae divina sunt, omnino non destiterit: quia Divinitas nec augmentum admittit, nec patitur detrimentum. Unde gratias agimus eidem Domino (*Comp.*, Deo) nostro Jesu Christo, qui propter nos et propter nostram salutem de coelo descendit, sua passione nos redemit, sua morte vivificavit, sua ascensione glorificavit, qui sedens ad dexteram Patris venturus est judicare vivos et mortuos, justis aeternae vitae

---

Chrysostomi Mig. 56, 424. s.) qui n. 5. profitetur: „Mihi firmum stat dogma pietatis et cuilibet fideli, nempe ubi solus loquitur Pater, ibi comprehendi etiam Filium et Spiritum s.“

praemium largiturus, impiis atque incredulis merita supplicia redditurus.

5. Profitemur itaque, Patrem de seipso, hoc est de eo, quod ipse est, sempiterne atque ineffabiliter Filium genuisse; Filium non extrinsecus, non (*al.* vel) ex nihilo, non ex alia subjacente materia, sed ex Deo natum esse. Et qui de Deo natus est, non aliud est, quam id quod Pater est, et idcirco unius substantiae est: quia veritas nativitatis diversitatem non admittit generis. Nam si alterius a Patre substantiae est, aut verus Filius non est, aut, quod nefas est dicere, degener natus est. Est enim verus Filius, sicut ait Joannes: *Ut simus in vero Filio ejus* (1. Joan. 5, 20). Non est etiam degener, quia Deus verus de Deo natus est vero, sicut idem Joannes evangelista exsequitur, dicens: *Hic est Deus verus et vita aeterna* (Ibid.). Et ipse Dominus in Evangelio: *Ego sum*, inquit, *via, veritas et vita* (Joan. 14, 6). Ergo si aliunde substantiam non habet, de Patre habet; si de Patre habet, unius est substantiae cum Patre. Sed si unius substantiae non est, ergo non de Patre, sed aliunde est: quoniam unde est, inde substantiam habeat necesse est. Omnia enim ex nihilo, Filius vero de Patre. De duobus eligat

quisque, quod velit, aut det ei substantiam de Patre, aut fateatur ex nihilo substitisse.

6. Sed propheticum forsitan objicitur testimonium: *Generationem ejus, quis enarrabit* (Isa. 53, 8)? Cum ego (*al.* ergo) non dixerim: Enarra mihi modum vel qualitatem divinae generationis et tanti secreti arcanum humanis verbis enuntia, quoniam unde natus sit, non quemadmodum natus sit, requisivi. Divina enim generatio inenarrabilis est, non ignorabilis. Nam usque adeo non est ignorabilis, id est non ignoratur unde sit, ut et Pater de seipso genuisse et Filius de Patre se natum saepissime protestetur, quod nullus omnino ambigit Christianus, sicut in Evangelio demonstratur, ipso Filio dicente: *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* (Joan. 3, 18). Item Joannes evangelista dicit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Patre* (Joan. 1, 14). Ergo professionem nostram brevi sermone concludimus. Si (*Laud.*, sicut) vere de Patre natus est, unius substantiae est et verus (*al.* vere) Filius est; sed si unius substantiae non est, nec verus Filius est; et si verus Filius non est, nec verus Deus est. Aut si verus Deus est et tamen de Patris sub-

stantia non est, ingenitus ergo et ipse est. Sed quia ingenitus non est, factura ergo est, ut putatur (*al.*, putetur), aliunde subsistens, si de Patris substantia non est. Sed absit hoc ita credere. Nos enim unius substantiae cum Patre Filium profitemur, detestantes sabellianam haeresim, quae ita sanctam Trinitatem confundit, ut eundem dicat esse Patrem, quem Filium, eundemque credat esse Spiritum sanctum, non servans tres in unitate personas.

7. Sed forsitan objicitur: Cum ingenitus Pater sit, genitus Filius, non fieri posse unam eandemque substantiam geniti atque ingeniti: cum utique sit, sicut ingenitus Pater est, ingenitus esset Filius, tunc magis diversa posset esse substantia, quia unusquisque a seipso subsistens communem substantiam cum altero non haberet. Cum vero ingenitus Pater de seipso, id est de eo, quod ipse est, si quid illud est aut dici potest (imo quia ut est dici omnino potest), Filium generavit, apparet unam esse gignentis genitique substantiam, quia Deum de Deo, lumen de lumine Filium esse veraciter profitemur. Nam lucem esse Patrem Joannes apostolus testis est, dicens: *Quia Deus lux est et etnebrae in eo non sunt ullae* (1. Joan. 1,

5). Item de Filio ait: *Et vita erat lux hominum et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt* (Joan. 1, 4, 5). Et infra: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Ibid. 9). Unde apparet, Patrem et Filium unius esse substantiae, dum lucis et luminis diversa non potest esse substantia ejus, scilicet quae de se gignit et quae de se gignente existit. Denique ne aliquis inter Patrem et Filium diversitatem naturalis luminis introducat, ideo Apostolus de eodem Filio dicit: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus* (Hebr. 1, 3): in quo evidentius et coaeternus Patri et inseparabilis a Patre et unius cum eo esse substantiae perdocetur, dum luci splendor semper est coaeternus, dum splendor a lumine (*al.* luce) nunquam est separatus, dum splendor a luce natura vel substantia nunquam potest esse diversus. Qui enim splendor lucis est, idem et Dei Patris virtus est: sempiternus ergo propter virtutis aeternitatem, inseparabilis propter claritudinis unitatem. Et hoc est, quod nos fideliter profitemur, Filium de Patris substantia natum; sicut ipse Pater Deus apertissimum perhibet testimonium. Qui ut de sua ineffabilis natu-

rae substantia proprium se Filium genuisse monstraret, ad instruendam fragilitatis nostrae imperitiam, ut nos ex visibilibus ad invisibilia erigeret, terrenae nativitatis vocabulum ad divinae generationis traxit exemplum, dicens: *Ex utero ante luciferum genui te* (Ps. 109, 3). Quid clarius, quid luculentius effari Divinitas dignaretur? Quibus indiciis, quibus exsistentium rerum exemplis proprietatem generationis potuit intimare, quam ut per uteri appellationem proprietatem genitricis ostenderet? non quia corporeis compositus est membris, aut aliquibus artuum lineamentis distinctus; sed quia nos aliter veritatem divinae generationis auditu mentis percipere non possemus, nisi humani uteri provocaremur vocabulo, ut ambigi ultra non posset, de Dei substantia natum esse, quem constat ex Patris utero exstitisse.

8. Credentes ergo Deum Patrem de sua substantia impassibiliter Filium generasse, non dicimus, ipsam substantiam aut divisam esse in Filio, aut diminutionem pertulisse in Patre et per hoc passionis potuisse vitio subjacere. Absit enim a nobis, ut talia vel opinemur, vel cogitemus, vel credamus de Deo: quia nos perfectum Patrem, perfectum Fi-

lium sine sui diminutione, sine aliqua derivatione, sine omni omnino passionis infirmitate genuisse, fideliter profitemur. Nam qui objicit Deo, quod si de seipso genuit, divisionis vitium pertulit, potest dicere, quia et laborem sensit, quando universa condidit, et ob hoc die septima ab omni opere suo requievit. Sed nec in generando de seipso passionem vel diminutionem aliquam sensit, nec in condendo universa fatigationem aliquam pertulit. Namque ut evidentius nobis divinae generationis impassibilitas demonstraretur, Deum ex Deo, lumen ex (*Lor.*, de) lumine Filium profitendum accepimus. Si ergo in efficientia visibilis ac mundani luminis tale aliquid invenitur, ut lumine ex lumine sumpto et per quandam generationis nativitatem exorto, ipsa luminis origo, quae ex se lumen aliud dedit, nec minui, nec ullum omnino detrimentum ministrati ex se luminis perpeti potuit (*Rhen.* contingat): quanto rectius et melius de divini et ineffabilis luminis natura credendum est, quod ex seipsa lumen generans, minui omnino non potuit? Unde aequalis est Patri Filius non natus ex tempore, sed gignenti coaeternus, sicut splendor ab igne genitus, gignenti manifestatur aequaevus. Haec de Pa-

tris et Filii aequalitate, vel de substantiae unitate, quantum brevitatis ratio sivit, dixisse sufficiat.

9. Superest ut aliquid de Spiritu sancto, quem Patri ac Filio consubstantialem credimus, coaequalem et coaeternum dicamus et testimoniis approbemus. Licet enim haec veneranda Trinitas personis ac nominibus distincta sit, non tamen ob hoc a se atque a sua aeternitate discrepare credenda est; sed manens ante saecula divinitas in Patre et Filio et Spiritu sancto, vere ac proprie creditur, nec dividi nostris interpretationibus potest, nec rursus versa in unam personam Trinitas ipsa confundi. Haec fides plena, haec nostra credulitas est. Idcirco deos nec aestimari patimur, nec vocari; sed unum Deum in praedictis personis ac nominibus confitemur. Inenarrabilis enim Divinitas, non ut concludi aut apprehendi velut vocabulis posset, intra nomina personasque se praestitit: sed ut id, quod erat esse nosceretur, intelligentiam sui ex parte, quam capere humanae mentis angustiae praevalebant, credentibus dedit, propheta dicente: *Nisi credideritis, non intelligetis* (Isai. 7, 9, sec. LXX). Una est ergo Trinitatis deitas et in hujus vocabuli appellatione signi-

ficatio est unius substantiae, non unius personae. Ad quam rem fidelibus comprobandam in testimonium sui Divinitas ipsa multis et creberrimis contestationibus semper adfuit. Liceat ergo brevitatis compendio ex multis pauca proferre, quoniam vera (*al.* vere) probatio majestatis, tametsi habet pluralitatem testimoniorum, pluralitate tamen non indiget, quoniam credenti pauca sufficiunt.

10. Primum igitur de Veteris Testamenti libris postmodum etiam Novi, Patrem, Filium et Spiritum sanctum unius docebimus esse substantiae, libro Genesis sic inchoante: *In principio fecit Deus coelum et terram; terra autem erat invisibilis et incomposita et tenebrae erant super abyssum et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (Gen. 1, 1, 2). Ille (*al.*, ille qui), principium, qui judaeis quis esset interrogantibus dixit: *Principium, qui et loquor vobis* (Joan. 8, 25). Superferebatur autem Spiritus Dei super aquas, utpote creator, virtute potentiae suae continens creaturam: ut ex his viva omnia productorus, ipse rudibus elementi signis propria fomenta praestaret, et jam tunc mysterio emicante baptismatis virtutem sanctificationis liquoris natura perciperet, primaque (*al.*,

primamque) ad vitam corpora animata produceret[1]); David proinde Deo aspirante, testatur: *Verbo Domini coeli firmati sunt,*

---

[1]) Haud pauci patres illud *in principio* in Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram* intelligunt de Filio, de qua interpretatione plura disserentem cf. Patrizi de interpret. ss. Script. l. 2. q. 1. Mundi exordia figuram quandam esse baptismi, alios quoque patres docentes audivimus opusc. t. 7. p. 149. annot. — Spiritum vero Dei, qui ferebatur super aquas, esse ipsum Spiritum s., magno consensu docent patres, ut Hippolytus in s. (dubio) in s. Theophaniam n. 9.; auctor exposit. fidei *κατὰ μέρος* (sub nomine Gregorii Thaumaturgi vulgatae, forte Apollinarii, Migne patrol. gr. 10, 1111); Optatus milevitanus l. 5. n. 2; l. 6. n. 6. (opusc. t. 10.); Philastrius haer. 109; Basilius Hexaem. hom. 2. n. 6, ubi scribit: „Verius est et a *majoribus nostris comprobatum*, quod Spiritus Dei sanctus ille dictus sit"; Ambrosius, qui l. 1. Hex. c. 8. statuit: „Nos *cum sanctorum et fidelium sententia* Spiritum s. accipimus"; iterum l. 10. in Luc. n. 48; de Spir. s. l. 2. prol. n. 1; c. 5, 6. n. 52; Augustinus confess. l. 13. c. 15 ss.; de Genesi ad lit. l. 1. c. 6; ad Simplic. l. 2. q. 1. n. 5; s. de cantico novo n. 7; l. 1. qq. in Heptateuch. q. 134.; l. 2. q. 55; de civit. Dei l. 11. c. 32; serm. 2. n. 3. (Mig. 46, 823); Nemesianus a Tubunis apud eundem Augustinum de bapt. l. 6. n. 17; auctor breviarii fidei adv. arianos (Migne 13, 661); Tertullianus de bapt. c. 35. (opusc. t. 7. p. 149. cum aliis ib. cit.); Hieronymus l. hebraicarum qq. ad Gen. 1, 2,

et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. 32, 6). Vide quam plena sit brevitas, et quam clare in sacramentum unitatis re-

---

ubi scribit: „Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est *ferebatur*, in hebraeo habet מְרַחֶפֶת quod nos appellare possumus *incubabat* sive *confovebat* in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu s., qui et ipse vivificator omnium a principio dicitur. Si autem vivificator, et conditor; quod si conditor, et Deus. *Emitte enim*, ait, *Spiritum tuum et creabuntur* (Ps. 103, 30);" in dial. c. Lucifer. n. 6.; l. 16. in Is. 56, 16; ep, 82. ad Oceanum; pseudo-Ambrosius in altera apol. David n. 63; auctor tractatus de Trinit. inter opera Ambrosii c. 6; Athanasius ep. 1. ad Serap. n. 5; auctor serm. c. omnes haereses n. 5. (inter op. Athan. Mig. 28, 511); pseudo-Augustinus in dial. qq. q. 1, 21; dial. de unitate Trinit. (Mig. 42, 108); Eucherius lugd. instruct. l. 1. c. 1; comm. (ipsi adscripto) in Gen. 1, 2; coll. in 1. Reg. 16; Paschasius de Spir. s. l. 1. cc. 5, 12; Cyrillus alex. l. 1. c. Julian.; pseudo-Fulgentius pro fide cathol. adv. Pintam n. 9; Cassiodorus in Ps. 109, 3. etc. Hinc quamvis non desint, qui nomine Spiritus Dei intelligant vel ventum validum, vel subtilissimum ut dicunt aethera per universum diffusum, vel *ἐνεργείαν ζωτικὴν*, vel Dei operationem, negari tamen nequit, alteram interpretationem magis commendari suffragio tam *solemni, universali, constanti*.

currit. Patrem in *Domino;* in *Verbi* significatione Filium ponens; Spiritum sanctum Altissimi ex *ore* nuncupavit. Et ne vocis editio acciperetur in *Verbo,* coelos per eum asserit esse firmatos. Ne autem status in *Spiritu* putaretur, coelestis in eo virtutis plenitudinem demonstravit. Nam ubi *virtus,* ibi necesse est persona subsistens; ubi *omnis,* non ablata a Patre et Filio, sed consummata significatur in Spiritu sancto: non ut solus habeat, quod in Patre et Filio est, sed ut totum habeat cum utroque.

11. Et iterum cum de vocatione gentium Dominus loqueretur, intra unum Divinitatis nomen (Patrem, Filium et) Spiritum sanctum praedicans, ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. 28, 19). Et iterum coelestia Corinthiis praedicans Apostolus, haec subdidit: *Gratia Domini nostri Jesu Christi et caritas Dei et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis* (2. Cor. 13, 13). Et ut apertius in hac Trinitate unitatem substantiae fateamur, illud etiam nobis est intuendum, quomodo Deus, cum de mundi et hominis creatione disponeret, sacramentum Trinitatis ostenderit, dicens: *Faciamus hominem ad imagi-*

nem et similitudinem nostram (Gen. 1, 26). Cum dicit *nostram*, ostendit utique non unius; cum vero *imaginem et similitudinem*, profert aequalitatem, distinctiones personarum insinuat, ut in eodem opere sit Trinitatis aperta cognitio, in quo nec pluralitas cassa (*al.* causa) est, nec similitudo dissentiens, dum et consequentia sic loquuntur: Et *dixit Deus* et *fecit Deus* et *benedixit Deus* (Gen. 1). Et necesse est, ut creationis totius auctor Deus unus sit. Quam fidei rationem antiqua denique per Moysen benedictio pandit et comprobat, qua benedicere populum sacramento trinae invocationis jubetur. Ait enim Deus ad Moysen: *Sic benedices populum meum et ego benedicam illos: Benedicat te Dominus et custodiat te. Illuminet Dominus faciem suam super te et misereatur tui. Attollat Dominus faciem suam super te et det tibi pacem* (Num. 6, 23 seq.). Quod hoc ipsum propheta David confirmat, dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus et metuant eum omnes fines terrae* (Psal. 66, 8). Quam Trinitatis unitatem supernae angelorum virtutes (*ms.* 2, in uno) hymno venerantur et ter numero, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth* (Isai. 6, 3), inde-

sinenti canente ore, in unius fastigium dominationis gloriam ejus exaltant[1]). Quod ut adhuc apertius fidelium sensibus inculcetur, coelestium mysteriorum conscium producimus Paulum. Ait enim: *Divisiones autem donationum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (1. Cor. 12, 4. seq.). Et certe has divisionum differentias pro qualitate ac merito participantium Spiritum sanctum docuit operari, cum ipsarum gratiarum differentias partiretur, in ultimis intulit dicens: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (Ibid., 11). Unde nullus ambiguitati relinquitur locus, quin clareat, Spiritum sanctum et Deum esse et suae voluntatis auctorem, qui cuncta operari et secundum propriae voluntatis arbitrium divinae dispensationis dona largiri apertissime demonstratur. Quia ubi voluntaria gratiarum distributio praedicatur, non potest videri

---

[1]) Aliorum patrum suffragium, qui hoc eodem textu utuntur ad probandam unitatem in Trinitate cf. annot. opusc. XVI, 178.

conditio servitutis; in creatura enim servitus intelligenda est, in Trinitate vero dominatio ac libertas. Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis evangelistae testimonio comprobatur. Ait namque: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus et hi tres unum sunt* (1. Joan. 5, 7). Nunquid, ait, tres in differenti aequalitate sejuncti, aut quibuslibet diversitatum gradibus longo separationis intervallo divisi? sed *tres*, inquit, *unum sunt.*

12. Ut autem adhuc magis magisque sancti Spiritus cum Patre et Filio una divinitas (*Lor.*, dignitas) in creandis rebus omnibus demonstretur, habes creatorem Spiritum sanctum in libro Job: *Spiritus*, inquit, *divinus est, qui fecit me et Spiritus Omnipotentis, qui docet me* (Job 33, 4). Et David dicit: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae* (Psal. 103, 30). Si creatio et renovatio per Spiritum erit, sine dubio et principium creationis sine Spiritu non fuit. Post creationem igitur ostendamus, quia vivificat etiam Spiritus sanctus, sicut Pater et Filius. Equidem de persona Patris refert Apostolus: *Testor in*

conspectu Dei, qui vivificat omnia (1. Tim. 6, 13). Vitam vero dat Christus. *Oves*, inquit, *meae vocem meam audiunt et ego vitam aeternam do illis* (Joan. 10, 27, 28). Vivificamur vero a Spiritu sancto, ipso dicente Domino: *Spiritus est, qui vivificat* (Joan. 6, 64). Ecce una vivificatio Patris et Filii et Spiritus sancti aperte demonstrata est.

13. Praescientiam rerum omnium in Deo esse et occultorum cognitionem, licet nemo Christianus ignoret, tamen ex Danielis libro monstrandum est. *Deus*, inquit, *qui occultorum cognitor es, qui praescius es omnium antequam nascantur* (Dan. 13, 42). Haec eadem praescientia in Christo est, sicut refert Evangelista: *Ab initio autem sciebat Jesus, quis esset eum traditurus, vel qui essent non* (*in al. deest* non) *credentes in eum* (Joan. 6, 65). Quod si autem occultorum cognitor, ex hoc manifestum est, cum obscura consilia judaeorum traducens dicebat: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (Matth. 9, 4)? Similiter praescire omnia Spiritum sanctum, ipse manifestavit dicens ad apostolos: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnia et ventura annunciabit vobis* (Joan. 14, 26). Qui ventura annunciare

perhibetur, praescire omnia non dubitatur: quia ipse scrutatur altitudines Dei et novit omnia, quae in Deo sunt, sicut memorat Paulus[1]), dicens: *Spiritus enim omnia scru-*

---

[1]) Ex hoc Pauli loco variis modis patres s. Spiritus divinitatem inferunt: 1) Tribuitur a Paulo Spiritui s. notitia secretorum paternorum profundorumque Dei, et quidem *connaturalis*, sicut connaturale spiritui hominis est, nosse secreta hominis propria: sed ejusmodi notitia connaturalis et propria dicitur Filio, qui est in sinu Patris (Joan. 1, 18), nam nemo novit Patrem nisi Filius (Matth. 11, 27), quare ejusdem est dignitatis, conditionis, familiaritatis Spiritus s. ac Filius. Cf. Ambrosius de Spir. s. l. 1. n. 26; l. 2. c. 11; Basilius l. 5. c. Eunom. (Mig. 29, 754 s.). Quod sat clare exprimitur 2) cum Spiritus s. confertur cum spiritu hominis, qui non est aliquid homini extraneum, alienum ab ejus substantia. Ad rem Hilarius de Trin. l. 12. n. 55: „Nulla te (Patrem) *nisi res tua penetrat*, nec profundum immensae majestatis tuae peregrinae atque alienae a te virtutis causa metitur. Tuum est quidquid te init, neque alienum a te est, quidquid virtute scrutantis inest.“ Hinc etiam Chrysostomus enarr. in Ps. 44. n. 3: „Quanta ergo est animae ipsius cum seipsa consensio, tanta est Spiritus cum Patre cognatio. Quemadmodum ergo Filius quoque dicitur Verbum, nec est tamen ejusmodi, ut non subsistat, ita etiam Spiritus Dei dicitur nec tamen non substitit.“ Athanasius de incarn. et c. arianos n. 13: „Sicut igitur spiritus hominis ab humanitate ejus et substantia non est segregatus, sic et Spiri-

tatur, etiam altitudines Dei (1. Cor. 2, 10). Item in eodem loco: *Sicut nemo scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus ejus qui in ipso est; ita nemo scit, quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei* (Ibid., 11).

---

tus Dei a divinitate ejus et substantia non est alienus.« Cf. Cyrillus alex. thesaur. assert. 33; de Trin. n. 23; Fulgentius ep. 14. ad Ferr. n. 9, 10; Primasius in h. l. Ad haec 3) »si hominis occulta cognoscere divinitatis est proprium (ut ex pluribus s. Scripturae effatis colligitur), quanto magis profunda Dei summi in persona Spiritus s. majestatis insigne est,« ita Paschasius de Spir. s. l. 2. c. 1. Similiter argumentatur antiquus auctor breviarii fidei adv. arianos (Migne 13, 663): »Sicut legimus, quod nemo noverit cogitationes hominum nisi Deus, quomodo Spiritus s. non est Deus, qui etiam non solum quae in homine, sed etiam quae in Deo sunt, scire dignoscitur?« Cf. Vigilius taps. l. 10. Praeterea 4) si Spiritui Dei vel ipsa *τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ* sunt pervia, nil Divinorum erit illi impervium, Deum proinde comprehendit. Deum autem comprehendere solius est intellectus infiniti seu Dei. Merito proinde *Spiritus veritatis* dicitur, quod omnem complectitur possidetque veritatem. Cf. Athanasius ep. 1. ad Serap. n. 22; Basilius c. Eunomium l. 3. n. 4; pseudo-Hieronymus ep. (17.) ad Cyril.; auctor de communi essentia Patris, Filii et Spiritus s. (inter opera s. Athan. Mig. 28, 30 ss.); pseudo-Athanasius disp. c. Arium n. 41; auctor qq. in V. et N. T. (Mi. 35, 2375 ss.); Pelagius in h. l. etc.

14. Ad intelligendam vero potentiam Spiritus sancti, pauca de terribilibus proferamus. Vendiderat possessionem, ut scriptum est in Actibus apostolorum (Cap. 5, 2), suppressa parte pecuniae dolosus discipulus, reliquum pro toto ante pedes ponens apostolorum; offendit Spiritum sanctum, quem putabat se latere. Sed quid ad eum dixit continuo beatus Petrus? *Anania, quare Satanas replevit cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto* (Ibid. 3)? Et infra: *Non es mentitus hominibus, sed Deo* (Ibid., 4). Atque ita percussus virtute ejus, cui mentiri voluerat, exspiravit. Quid hic vult beatus Petrus intelligi Spiritum sanctum? Utique clarum est, cum dicit, *non mentitus es hominibus, sed Deo.* Manifestum est ergo, quoniam qui mentitur Spiritui sancto, Deo mentitur, et qui credit in Spiritum sanctum, credit in Deum[1]). Tale aliquid, imo fortius

---

[1]) „Hoc testimonio (Act. 5, 3), inquit Petavius l. 2. de Trinit. c. 13. §. 1., plerique omnes antiquorum patrum usi sunt non minus graeci quam latini ad probandam Spiritus s. divinitatem.“ Et revera eo utuntur Epiphanius haer. 74. n. 6; et Ancoratu n. 9., ubi egregie advertit: „Petro germanum suum Filium indicat et beatus idcirco dicitur. At ille ipse rursus Spiritum s. patefecit: sic enim

quiddam Dominus in Evangelio ostendit, dicens: *Omne peccatum et blasphemia re-*

---

ei, *qui inter apostolos primus esset, consentaneum erat*, solidae inquam petrae, supra quam est Ecclesia Dei fundata;" n. 69, 118; Theodoretus in 1. Cor. 14, 24; haeret. fabul. l. 5. n. 3; Didymus de Spir. s. n. 18. scribens: „Si enim qui Domino mentitur, mentitur Spiritui s., et qui Spiritui s. mentitur, mentitur Deo, nulli dubium est, consortium Spiritui s. esse cum Deo. Et quomodo sanctitas substitit in Deo, eodem modo et deitas intelligitur in Spiritu s."; Athanasius de incarn. et c. Arium n. 13; Cyrillus alex. thes. assert. 34. (Mig. 75, 578); dial. 7. (ib. p. 1083); de Trin. n. 25; Augustinus c. literas Petil. l. 3. n. 58.; c. Maximin. l. 2. c. 21; l. 2. qq. in Heptateuch. q. 59.; auctor qq. in V. et N. T. q. 97; pseudo-Augustinus dial. 65. q. qq. 3: „Spiritum s. verum Deum actus apostolorum *apertissime* edocent"; pseudo-Hieronymus ep. (17.) ad Cyril.; Arnobius junior in confl. cum Serapione l. 2. n. 26.; Cerealis l. c. Maximinum c. 11; Avitus l. de divinit. Spir. s. (Mig. 59., 385 s.); Paschasius de Spir. s. l. 2. c. 8; Vigilius taps. dial. 2. c. arianos n. 14; l. 7, 10, 12. de Trin.; l. 2. c. Varimadum c. 10; Fulgentius de Trin. c. 4; pro fid. cath. adv. Pintam n. 9.; Arator carm. de act. apost. l. 1. v. 437. s.; Cassiodorus in Ps. 84., 8; Gregorius turonensis l. 5. hist. franc. n. 44; l. 6. n. 18. etc. Hoc et altero textu (Matth. 12, 31 s.), ad quem provocant hi episcopi, utuntur simul auctor breviarii fid. adv. arianos (Mig. 13, 664), qui advertit: „Si Deus non est

mittetur hominibus; qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro (Matth. 12, 31, 32). Ecce terribili sententia irremissibile dicit esse peccatum ei, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit. Compara (*al.* Comparat) huic sententiae illud, quod scriptum est in libro Regnorum: *Si peccando peccaverit vir in virum, orabunt pro eo: si autem in Deum peccaverit, quis orábit pro eo* (1. Reg. 2, 25)? Si ergo blasphemare in Spiritum sanctum et peccare in Deum simile, id est, inexpiabile crimen est, jam quantus sit Spiritus sanctus unusquisque cognoscit.

15. Deus quod ubique sit praesens et impleat omnia, ore discimus Jeremiae: *Ego*, inquit, *Deus approximans et non de longinquo: si absconditus fuerit homo in absconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne coelum et terram ego impleo* (Jer. 23, 23,

---

(Spiritus s.), quare tam gravis ejus offensa a Domino dicitur?«; Athanasius de Trin. et Spiritu s. n. 12, 21; pseudo-Athanasius disp. c. Arium n. 42. s.; pseudo-Augustinus s. 239. n. 2; Nicetas de Spiritus s. potentia n. 17; Maximus taurinensis s. 52; Cyrillus al. ass. 34 (Mig. 75, 591); Vigilius tapsensis l. 12. de Trin. etc.

24)? Quid autem de sua ubique praesentia Salvator in Evangelio dicit? *Ubicunque*, ait, *fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum* (Matth. 18, 20). De Spiritu adaeque sancto, quod adsit ubique, dicit propheta ex persona Dei: *Ego in vobis, et Spiritus meus stat in medio vestrum* (Ezech. 36, 27). Et Salomon ait: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis* (Sap. 1, 7). Item David dicit: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas in directum, et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me et continebit me dextera tua* (Psal. 138, 7 seq.).

16. Habitat Deus in sanctis suis secundum promissionem qua dixerat: *Habitabo in illis* (2. Cor. 6, 16). Quod vero Dominus Jesus dicit in Evangelio: *Manete in me et ego in vobis* (Joan. 15, 4), probat hoc Paulus dicens: *An nescitis, quia Jesus Christus est in vobis* (2. Cor. 13, 5)? Hoc autem totum in Spiritus habitatione adimpletur, sicut memorat Joannes: *Ex hoc*, inquit, *scimus quia in nobis est, quia de Spiritu*

suo dedit nobis (1. Joan. 4, 13). Similiter et Paulus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (1. Cor. 3, 16)? Et iterum dicit: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 6, 20). Quem Deum? utique Spiritum sanctum, cujus templum esse videmur [1]).

17. Nam quod arguat Pater, arguat Filius, arguat Spiritus sanctus, ita probandum est. In psalmo quadragesimo nono legitur: *Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras justitiam meam, et assumis testamentum meum per os tuum* (Psal. 49, 16)? Et infra: *Arguam te et statuam contra* (Laud. *ante*) *faciem tuam* (Ibid., 21). David similiter orans dicit ad Christum: *Domine, ne in ira tua arguas me* (Ps. 6, 2); quia ipse venturus est arguere omnem carnem. Quid vero de Spiritu sancto Salvator in Evangelio dicit? *Cum venerit*, inquit, *Paraclitus, ille arguet mundum de peccato, et de justitia et de judicio* (Joan. 16, 8). Hoc praevidens David clamabat ad Dominum: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam* (Psalm. 138, 7)?

---

[1]) Aliorum patrum in h. Pauli l. testimonia cf. in annot. opusc. 16, 229 s.

18. Nam et quod bonus sit Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus, sic probatur. Dicit propheta: *Bonus es tu, Domine, et in bonitate tua doce me justificationes tuas* (Ps. 118, 68). De se autem ipse Unigenitus: *Ego sum pastor bonus* (Joan. 10, 11). De Spiritu aeque sancto David in psalmo dicit ad Dominum: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram* (Laud., *viam*) *rectam* (Psal. 142, 10).

19. Quis autem dignitatem illam Spiritus sancti possit tacere? Antiqui enim prophetae clamabant: *Haec dicit Dominus.* Hanc vocem Christus adveniens in suam personam revocavit, dicens: *Ego autem dico vobis* (Matth. 5, 22). Novi autem prophetae quid (*al.* qui) clamabant? sicut propheta Agabus in Actibus apostolorum: *Haec dicit Spiritus sanctus* (Act. 21, 11). Et Paulus ad Timotheum: *Spiritus*, inquit, *manifeste dicit* (1. Tim. 4, 1). Quae vox omnino demonstrat indifferentiam Trinitatis. Et Paulus quidem dicit, se a Deo Patre et Christo vocatum fuisse et missum: *Paulus*, inquit, *apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum, et* (Laud., *ad*) *Deum Patrem* (Gal. 1, 1). In Actibus autem apostolorum legitur, quod a Spiritu

sancto sit segregatus et missus. Sic enim scriptum est: *Haec dicit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, quo vocavi eos* (Act. 13, 2). Et paulo post: *Ipsi*, inquit, *missi a Spiritu sancto descenderunt Seleuciam* (Ibid., 4). Item in eodem libro: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos* (Act. 20, 28).

20. Ne quis autem Spiritum sanctum, quia Paraclitus dictus est, contemptibile aliquid existimet. Paraclitus enim advocatus est, vel potius consolator secundum latinam linguam, quae appellatio etiam Filio Dei communis et, sicut dicit Joannes: *Haec*, inquit, *scribo vobis ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, Paraclitum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum* (1. Joan. 2, 1.) Nam et ipse Dominus cum dicit ad apostolos: *Alterum Paraclitum mittet vobis Pater* (Joan. 14, 16), sine dubio cum dicit *alterum Paraclitum*, se quoque Paraclitum manifestat. Sed neque a Patre hoc nomen Paracliti alienum est. Beneficentiae enim nomen est, non naturae. Denique ad Corinthios Paulus ita scribit: *Benedictus Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus omnis*

consolationis, qui nos consolatur (2. Cor. 1, 3, 4). Et cum consolator dicitur Pater, consolator etiam Spiritus sanctus, una tamen nobis consolatio a Trinitate praestatur; sicut et una remissio peccatorum, apostolo affirmante: *Abluti*, inquit, *estis et justificati, et sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (1. Cor. 6, 11). Possemus plura adhuc de divinis Scripturis proferre testimonia, quae juxta baptismi sacramentum Trinitatem unius gloriae, operationis ac potentiae manifestant: sed quia ex his plenus est sapientium intellectus, multa praeterivimus studio brevitatis.

21. Faciamus ergo recapitulationem dictorum nostrorum. Si de Patre procedit Spiritus sanctus, si liberat, si Dominus est et sanctificat, si creat cum Patre et Filio et vivificat, si praescientiam habet cum Patre et Filio, si ubique est et implet omnia, si habitat in electis, si arguit mundum, si judicat, si bonus et rectus est, si de eo clamatur: *Haec dicit Spiritus sanctus;* si prophetas constituit, si apostolos mittit, si episcopos praeficit, si consolator est, si cuncta dispensat prout vult, si abluit et justificat, si tentatores suos interficit; si is, qui eum

blasphemaverit, non habet remissionem, neque in hoc seculo, neque in futuro, quod utique Deo proprium est: haec cum ita sint, cur de eo dubitatur, quod Deus sit, cum eum operum magnitudo quod est ipse manifestet? Non utique alienus est a Patris et Filii majestate, qui non est ab operum virtute alienus [1]). Frustra illi nomen divinitatis nega-

---

[1]) Amant patres hanc formam probandi divinitatem s. Spiritus inde derivatam, quod eadem nomina, praedicata, opera illi tribuuntur, quae Patri et Filio in divinis literis tribui solent. Ita etiam Fulgentius l. 3. ad Trasimundum suam de Spiritus s. divinitate disputationem paucis iterum ut hi episcopi complectitur n. 35: „Dicatur igitur: si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus, si potest vivificare, qui non est Deus, si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus, si potest charitatem tribuere, qui non est Dous, si potest in credentibus habitare, qui non est Deus, si potest gratiam dare, qui non est Deus, si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus, et digne Spiritus s. negabitur Deus. Rursus dicatur: si ea, quae de Spiritu s. commemorata sunt, potest aliqua creatura facere, et digne Spiritus s. dicatur creatura. Si autem haec creaturae possibilia nunquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu s., quae tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire: ac si ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis, nec quisquam

tur, cujus potestas non potest abnegari. Frustra prohibeor eum cum Patre et Filio venerari, quem exigor cum Patre et Filio confiteri. Si ille mihi cum Patre et Filio confert remissionem peccatorum, confert sanctificationem et vitam perpetuam, ingratus sum nimis et impiissimus, si ei cum Patre et Filio non refero gloriam; aut si non est cum Patre colendus et Filio, ergo nec confitendus est in baptismo. Si autem omnimodo confitendus est secundum dictum Domini et traditionem apostolorum, ne semiplena sit fides, quis me poterit ab ejus cultu prohibere? In quem enim credere jubeor, ei etiam debeo supplicare. Adorabo ergo Patrem, adorabo et Filium, adorabo et Spiritum sanctum una eademque veneratione. Quod si quis durum hoc putat, audiat quomodo David ad culturam Dei fideles hortatur: *Adorate*, inquit, *scabellum pedum ejus* (Psal. 98, 5). Si religionis est adorare scabellum pedum ejus, quanto magis religiosum si ejus Spiritus adoretur? Ille utique Spiritus, quem

---

dubitet Patris et Filii et Spiritus s. personarum Trinitate servata unum Deum naturaliter dicere, qui potuit universa sola voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate divinitatis replere."

beatus Petrus in tanta sublimitate praedicavit, dicens: *Spiritu sancto misso de coelis, in quem concupiscunt angeli prospicere* (1. Petr. 1, 12). Si angeli eum cupiunt aspicere, quanto magis nos homines mortales eum despicere non debemus, ne forte et nobis dicatur, sicut dictum est ad judaeos: *Vos semper Spiritui sancto restititis, sicut et patres vestri* (Act. 7, 51).

22. Quod si haec tanta et talia non inclinant animum ad venerandum Spiritum sanctum, accipite adhuc aliquid fortius. Sic enim Paulus instruit prophetas Ecclesiae, in quibus utique et per quos Spiritus sanctus loquebatur: *Si*, inquit, *omnes prophetaverint, intret autem aliquis infidelis, aut idiota, convincitur ab omnibus, examinatur ab omnibus, occulta quoque cordis ejus manifesta fiunt* (al. *sunt*): *et tunc cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quia vere Deus in vobis est* (1. Cor. 14, 24, 25). Et utique in eis Spiritus sanctus est, qui prophetant. Si ergo infideles cadunt in faciem et adorant Spiritum sanctum perterriti et confitentur inviti (*Lor.*, victi): quanto magis fidelibus expedit, ut voluntarie et ex affectu adorent Spiritum sanctum? Adoratur autem Spiritus sanctus, non quasi separa-

tim more gentilium, sicut nec Filius separatim adoratur, quia in dextera Patris est; sed cum adoramus Patrem, credimus nos et Filium et Spiritum sanctum adorare: quia et cum Filium invocamus, Patrem nos credimus invocare, et cum Patrem rogamus, a Filio nos exaudiri confidimus, sicut ipse Dominus dixit: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, ego faciam, ut honorificetur Pater in Filio* (Joan. 14, 13). Et si Spiritus sanctus adoratur, ille utique adoratur, cujus est Spiritus. Illud autem nullus ignorat, quia divinae majestati nec addi quidquam, nec minui humanis supplicationibus potest: sed (*Lor.*, sic) unusquisque secundum propositum voluntatis suae, aut gloriam sibi acquirit fideliter venerando, aut confusionem perpetuam pertinaciter resistendo. Certum est enim, quia superbia et contemptio damnat, honorificentia vero fructum devotionis exspectat. Quare autem fideles non honorificent integre Trinitatem, ad quam se pertinere confidunt, cujus nomine se renatos, cujus servos se nominari gloriantur? Nam sicut a nomine (*al.* ad nomen) Dei Patris homines Dei appellantur, ut Helias homo Dei dictus est, ut Moyses homo Dei appellatus est; sic a Christo Christiani

nuncupamur, sic etiam a Spiritu spiritales appellamur. Si igitur vocetur quis homo Dei, et non sit Christianus, nihil est; qui si Christianus vocetur et non fuerit spiritalis, nec sibi satis de salute confidat.

22. Sit ergo nobis secundum salutaris baptismi confessionem fides integra Trinitatis, sit una devotio pietatis: nec more gentilium potestatum diversitates opinemur, aut creaturam quantum ad deitatem in Trinitate suspicemur. Sed nec judaeorum scandalo moveamur, qui Filium Dei negant, qui Spiritum sanctum non adorant; sed potius perfectam Trinitatem adorantes et magnificantes, sicut in mysteriis ore nostro dicimus, ita conscientia teneamus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Ter dicentes *Sanctus* unam omnipotentiam confitemur, quia una est religio, una glorificatio Trinitatis, ut audiamus ab apostolo, sicut audierunt Corinthii: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et dilectio Dei, et communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis* (2. Cor. 13, 13). Haec est fides nostra, evangelicis et apostolicis traditionibus atque auctoritate firmata, et omnium, quae in mundo sunt catholicarum ecclesiarum societate fundata, in qua nos per gratiam Dei

omnipotentis permanere usque ad finem vitae hujus confidimus et speramus.

Explicit libellus directus sub die XII. (*al.* XVII.) calendarum Maiarum per Januarium Zattarensem, Villaticum a Casis-Medianis episcopos Numidiae, et Bonifacium Foratianensem, et Bonifacium Gratianensem episcopos provinciae Byzacenae.

LIBER QUARTUS.

Hunerici saevitia in episcopos catholicos.

1. Qui cum (*al.* cunque) noster libellus legeretur, oblatum veritatis lumen nequaquam sufferre caecis oculis potuerunt insanientes, vocibus infrementes, graviterque ferentes, quare nos nomine nostro catholicos dixerimus. Statimque mentientes suggerunt regi de nobis, eo quod strepitum fecerimus, audientiam fugientes, qui eadem hora accensus et credens mendacio, festinavit facere quod volebat. Et jam conscriptum decretum habens, et occulte cum eodem decreto per diversas provincias suos homines dirigens, episcopis Carthagine positis, una die universae Africae ecclesias clausit, universamque substantiam episcoporum et ecclesiarum suis episcopis munere condona-

vit. Nesciens quoque quid loqueretur, neque de quibus affirmabat, legem, quam dudum Christiani imperatores nostri contra eos et contra alios haereticos pro honorificentia Ecclesiae catholicae dederant, adversum nos illi proponere non erubuerunt, addentes multa de suis, sicut placuit tyrannicae potestati. Haec est enim series datae et propositae legis.

2. Rex Hunerix Vandalorum et Alanorum, universis populis nostro regno subjectis.

„Triumphalis majestatis et regiae probatur esse virtutis, mala in auctores consilia retorquere. Quisquis enim aliquid pravitatis invenerit, sibi imputet quod incurrit. In qua re nutum divini judicii clementia nostra secuta est, quod quibusque personis, prout eorum facta meruerint, seu bona, seu forte talibus contraria, dum facit expendi, simul etiam provenit compensari. Itaque his provocantibus qui contra praeceptionem inclytae recordationis patris nostri, vel mansuetudinis nostrae crediderint esse renitendum, censuram severitatis assumimus. Auctoritatibus enim cunctis populis fecimus innotesci, ut in sortibus Vandalorum nullos conventus omousiani sacerdotes assumerent, nec aliquid mysteriorum, quae magis polluunt, si-

bimet vindicarent: quod cum videremus esse neglectum, et plurimos esse repertos dicentes, se integram fidei regulam retinere, postmodum universos constat fuisse commonitos, spatio temporis praerogato mensium novem, novaeque contentionis (si quid ad eorum proposita posset aptari), ut ad calendas Februarias anni octavi regni nostri, sine metu aliquo convenirent. Qui dum huc ad Carthaginensem confluerunt civitatem, post moram temporis praestituti, aliam quoque dilationem aliquantorum dierum dedisse cognoscimur. Et dum se conflictui paratos astruerunt, primo die a venerabilibus episcopis nostris eis videtur esse propositum, ut *ὁμοούσιον*, sicut moniti erant, ex divinis Scripturis proprie approbarent: aut certe quod a mille [1]) et quot excurrunt, pontifici-

---

[1]) Modus loquendi apud Afros usitatus, ut patet ex Optato lib. I contra Parmenianum, Augustino lib. VII. de baptismo, cap. 7, quibus verbis, *plus minus*, vel potius *et amplius*, significatur. Porro a *mille* circiter episcopis dogma catholicorum damnatum fuisse in Ariminensi concilio, seu apud Seleuciam, dicit hic tyrannus: quanquam ipsomet Athanasio attestante, haud plures quam quadringenti Ariminum, Seleuciam vero centum et sexaginta convenerint. Sed Ariani postquam partim callidis artibus, partim vi catholicos antistites ad suas partes inclinassent, ali-

bus de toto orbe in Ariminensi concilio, vel apud Seleuciam amputatum est, praedamnarent. Quod nequaquam facere voluerunt, universa ad seditionem per se concitato populo revocantes. Quinimo et secunda die, dum eis mandaremus ut de eadem fide, sicuti propositum fuerat, responderent: hoc videntur assumpsisse ad temeritatem transactam, ut seditione et clamoribus omnia perturbantes, ad conflictum facerent minime perveniri.

„Quibus provocantibus statuimus, ut eorum ecclesiae clauderentur, hac illis conditione praescripta, ut tamdiu essent clausae quamdiu nollent (*al.* mallent) ad conflictum propositum pervenire. Quod ea obstinatione facere voluerunt, quam pravis videntur assumpsisse consiliis. Adeo in hos est necessarium ac justissimum retorquere, quod ipsarum legum continentia [1]) demonstratur,

---

quot ex seipsis delegerunt, qui per urbes provinciasque cursitando, episcopos, qui absentes fuerant, ad subsignanda illorum dogmata coegerunt. Utraque autem illa synodus anno 359. coacta fuit, jubente Constantio Augusto, qui Occidentales Ariminum, Orientales vero Seleuciam Isauriae urbem convenire mandaverat.

[1]) *Legum continentia*, quod legum tenore demonstratur contineri, statui. *Conceptio*, tenor. Leges illae hoc videntur statuere, ut etc.

quas inductis secum in errorem imperatoribus diversorum temporum tunc contigit promulgari. Quarum illud videtur tenere conceptio, ut nulla exceptis institutionis suae antistitibus ecclesia pateret; nulli liceret ali aut convictus agere, aut exercere conventus; nec ecclesias aut in urbibus, aut in quibusdam parvissimis locis, penitus obtinere neque construere; sed praesumpta fisci juribus jungerentur; sed etiam et eorum patrimonia, ecclesiis suae fidei sociata, suis antistitibus provenirent; nec commeandi ad quaecunque loca talibus licentia pateret, sed extorres omnibus urbibus redderentur et locis; nec baptismatis haberent omnino aliquam facultatem, aut forte de religione disputandi et nullam ordinandi haberent licentiam, sive episcopos, sive presbyteros, vel alios, quos ad clerum pertinere contingeret, proposita severitate vindictae, ut tam hi, qui se paterentur hujusmodi honores accipere, quam etiam ipsi ordinatores denis libris auri singuli multarentur, eo adjecto, ut nullus eis locus esset vel auditus supplicandi, sed etiam si qua specialia meruissent[1]), mi-

---

[1]) *Si qua specialia meruissent,* etiamsi haberent merita specialia, minime admitterentur, audirentur.

nime praevalerent: et si in hac pernicie perdurarent, de proprio solo ablati in exsilium sub persecutione (*al.* prosecutione) idonea mitterentur. In populos quoque praefati imperatores similiter saevientes, quod eis nec donandi libertas, nec testandi, aut capiendi, vel ab aliis relictum penitus jus esset (*al.* subjaceret); non fideicommissi nomine, non legati, non donationibus, aut relictione, quae mortis causa appellatur, vel quolibet codicillo, aliisve forsitan scripturis, ita ut etiam qui in suis palatiis militarent, condemnationi gravissimae pro dignitatis merito facerent subjectos, ut omni honoris privilegio exspoliati infamiam incurrerent, et publico crimini hujusmodi personae se cognoscerent esse subjectas; officialibus etiam judicum diversorum tricena argenti pondo poena proposita: quam si quinque vicibus in errore perdurantibus contigisset inferre, tum demum tales convicti, atque subjugati verberibus, in exsilium mitterentur. Deinde codices universos sacerdotum, quos persequebantur, praeceperant ignibus tradi. Quod de libris hujusmodi, quibus sibi nominis illius errorem persuasit iniquitas, praecipimus faciendum. Haec enim, ut dictum est, pro singulis quibusque personis

illi observanda praeceperant, ut illustres singulatim auri pondo quinquagena darent, spectabiles auri pondo quadragena, senatores auri pondo tricena, populares auri pondo vicena, sacerdotes auri pondo tricena, decuriones auri pondo quina (*al.* ter quina), negotiatores auri pondo quina, plebeii auri pondo quina, circumcelliones argenti pondo dena. Et si qui forte in hac pernicie permanerent, confiscatis omnibus rebus suis exsilio multarentur. Ordines autem civitatum, sed et procuratores et conductores possessionum tali poena jubebantur affligere, ut si forte tales celare deligerent, et minime publicassent, et retentos (*al.* tantos in . . .) judicio non facerent praesentari, ipsi tenerentur ad poenam; conductoribus etiam regalium praediorum hac multa proposita, ut quantum domui regiae inferrent, tantum etiam fisco, poenae nomine, cogerentur exsolvere. Id generaliter in omnibus conductoribus vel possessoribus, qui in eadem superstitione crediderint perdurandum, constituerunt observari. De judicibus etiam, qui huic rei instantissime non imminebant, poena proscriptionis et sanguinis supplicio punirentur. Sed et de primatibus officiorum tres numero punirentur,

aliis viginti librārum auri condemnatione multandis.

„Quare his necesse est constitutionibus obligari omousianos omnes, quos hujusmodi malae persuāsionis constat tenuisse et tenere materiam[1]). Quos ab omnibus supradictis abstinere decernimus, in prosecutionem venturis per ordines cunctarum urbium; sed etiam judices qui superioribus neglectis dira supplicia diversis non intulisse monstrantur. Omnes ergo supradictae fidei ὁμοούσιον erroribus implicatos, quae cuncto praedamnata est concilio tantorum numero sacerdotum, universis rebus praedictis, et contractibus praecipimus abstinere, quod nihil sibi noverint esse permissum; sed universos similis poena maneat et astringat, si ād veram religionem, quam venerāmur et colimus, intra diem calendarum Juniarum ānni octavi regni nostri, conversi non fuerint. Diem autem praestitutum ideo pietas nostra constituit, ut praedamnantibus errorem indulgentia non negetur, et obstinatos

---

[1]) *Tenere materiam*, quos constat ejusmodi malam persuasionem, fidem scil., Filium Patri esse ὁμοούσιον, professos esse vel adhuc profiteri. *In prosecutionem venturis*, quae exsecutioni mandentur.

animos supplicia digna coerceant. Qui autem in eodem errore permanserint, seu domus nostrae occupati militia, seu forsitan diversis titulis necessitatibusque praepositi, pro gradibus suis descriptas superius multarum illationes cogantur excipere, nihil valituris, quae forsitan per subreptionem quemquam talium contigit promereri. In privatas etiam, vel cujuscunque gradus et loci personas hoc nostra promulgatio praecepit observandum, quod circa tales suprādictis legibus videbatur expressum, ut poenis congruis subderentur. Judices autem provinciarum quod statutum est negligentes exsequi, superiori poena, quae talibus est praescripta, constituimus obligandos.

„Veris autem majestatis divinae cultoribus, id est sacerdotibus nostris, ecclesias universas, vel totius cleri nominis supradicti quibuscunque terris et regionibus constitutas, quae, propitiā Divinitate, imperii nostri regimine possidentur, una cum rebus quae ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus debere proficere, non dubitāntes plus alimoniae inopum proficere, quod sacrosanctis pontificibus juste collatum est. Hanc ergo legem, e fonte justitiae profluentem, cunctis praecipimus innotescere, quatenus

nullus sibi ignotum esse, quod praeceptum est, possit obtendere. Optamus vos bene valere. Data sub die VI. calendas Martias, Carthagine.

3. Post haec edicta feralia veneno toxicato transversa, jubet cunctos episcopos, qui Carthagine fuerant congregati, quorum jam ecclesias, domos et substantiam ceperat, in hospitiis quibus erant exspoliari, et exspoliatos foras muros propelli. Non animal, non servus, non mutanda, quae ferebant vestimenta penitus dimittuntur. Addens adhuc, ut nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam praestaret. Qui autem hoc miserationis causa facere tentasset, cum universa domo sua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam projecti episcopi fecerunt, ut, licet mendicantes, exinde non abirent: quia si recederent, non tantum violenter omnino revocarentur, sed et mentirentur eos, sicut mentiti sunt, fugisse conflictum; maxime quia ubi reverterentur, jam nequaquam fuerat ecclesiis substantia vel domibus occupatis. Dum ergo gementes in circuitu murorum nudo sub aëre jacerent, factum est, ut rex impius ad piscinas exisset, cui universi occurrere maluerunt, dicentes: Ut quid taliter affligimur? pro quibus

malis forte commissis ista perpetimur? Si ad disputationem congregati sumus, quare exspoliamur, quare traducimur, quare differimur, et sine ecclesiis, et domibus nostris foras civitatem fame et nuditate laborantes, mediis stercoribus volutamur? Quos ille torvis oculis respiciens, priusquam suggestionem eorum audisset, jussit super eos cum sessoribus equos dimitti, ut tali violentia possent non solum conteri, verum etiam enecari. Quorum tunc multi contriti sunt, et praecipue senes et infirmi.

4. Tunc deinde jubentur ad quendam locum, qui dicitur aedes Memoriae, illi viri Dei occurrere, fraudem sibi nescientes aptatam. Ubi cum venissent, charta eis ostenditur involuta, diciturque illis ista subtilitate serpentis: Dominus noster rex Hunericus, licet doleat, quod fueritis contemptores, et adhuc ejus voluntati obedire tardetis, ut ejus efficiamini religionis cujus est ipse, nunc tamen bonum de vobis cogitavit. Si juraveritis ita, ut quod ista charta continet faciatis, dimittet vos ecclesiis et domibus vestris. Ad quod universi episcopi responderunt: Semper dicimus, et diximus, et dicturi sumus: Christiani sumus, episcopi sumus, apostolicam fidem unam et veram tenemus.

Factoque post confessionem fidei silentio modico, illi qui a rege fuerant destinati festinabant extorquere episcopis sacramentum. Tunc beati viri Hortulanus et Florentianus episcopi pro omnibus et cum omnibus dixerunt: Nunquid animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid charta contineat facile aut temere juremus? Acceleraverunt quoque illi a rege destinati scripturae eis propalare tenorem, qui hujusmodi sermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumniosa series continebat. Jurate, si post obitum domini nostri regis, ejus filium Hilderich desideretis esse regem, vel si nullus vestrum ad regiones transmarinas epistolas diriget: quia si sacramentum hujus rei dederitis, restituet vos ecclesiis vestris. Cogitavit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem divinam, sacramentum dare, ne Dei populus in posterum diceret, quod vitio sacerdotum, qui jurare noluerunt, non fuerint ecclesiae restitutae. Alii quoque astutiores episcopi, sentientes dolum fraudis, nequaquam jurare voluerunt, dicentes prohibitum fuisse evangelica auctoritate, ipso Domino dicente: *Non jurabitis in toto* (Matth. 5, 34). Quibus ministri regis: Secedant in parte, inquiunt, qui jurare disponunt. Qui

cum secederent, notariis scribentibus, quid quisque diceret, et de qua civitate fuisset exceptum est. Similiter factum est de illis, qui minime juraverunt. Statimque pars utraque custodiae mancipatur.

5. Postmodum vero fraus, quae celabatur apparuit. Jurantibus itaque dictum est: Quia contra praeceptum Evangelii jurare voluistis, jussit rex, ut civitates atque ecclesias vestras nunquam videatis, sed relegati, colonatus jure ad excolendum agros accipiatis: ita tamen, ut non psallàtis, neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus gestetis; non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare praesumatis. Similiter non jurantibus, aiunt: Quia regnum filii domini nostri non optatis, idcirco jurare noluistis. Ob quam causam jussi estis in Corsicanam insulam relegari, ut ligna profutura navibus dominicis incidàtis.

LIBER QUINTUS.

Persecutio generalis Hunerici adversus omnes Orthodoxos.

1. Addidit itaque bestia illa, sanguinem sitiens innocentum, episcopis necdum adhuc in exsilium directis, per universas Africanae terrae provincias, uno tempore tortores cru-

delissimos destinare, et nulla remansisset domus et locus, ubi non fuisset ejulatus (*al.* ululatus) et luctus, ut nulli aetati, nulli parceretur sexui, nisi illis, qui eorum succumberent voluntati. Hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant. Mulieres vero et praecipue nobiles, contra jura naturae, nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus unam nostram Dionysiam cursim ac breviter nominabo. Cum viderent eam non solum audacem esse, sed etiam matronis ceteris pulchriorem, ipsam primo nisi sunt fustibus exspoliatam appetere. Quae cum pateretur, diceretque de Domino suo secura: Qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare: amplius illi magis furentes, celsiori loco vestimentis exutam constituunt, spectaculum eam omnibus facientes. Quae inter ictus virgarum, dum rivuli sanguinis toto jam corpore fluitarent, libera voce dicebat: Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa laus mea est; et quia erat Scripturarum divinarum scientia plena, aptatis arctata poenis, et ipsa jam martyr, alios ad martyrium confortabat. Quae suo sancto exemplo pene universam suam patriam liberavit. Quae cum suum unicum filium, admodum

adhuc tenerae aetatis et delicatum, timore poenarum formidolosum conspiceret, verberans eum nutibus oculorum, et increpans auctoritate materna, ita confortavit, ut matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto ita dicebat: Memento, fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Ecclesia catholica baptizati sumus. Non perdamus indumentum nostrae salutis, ne veniens invitator vestem non inveniat nuptialem, et dicat ministris: *Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, et stridor dentium* (Matth. 22, 13). Illa, fili, poena timenda est, quae nunquam finitur; illa desideranda vita, quae semper habetur. Talibus itaque filium solidans verbis, velociter martyrem fecit. Venerabilis vero adolescens, Majoricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummavit; amplexansque illa hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futurae, in sua domo maluit sepelire; ut quotiens super sepulcrum ejus Trinitati preces effundit, alienam se a filio nunquam esse confidat. Quanti igitur per eam in illa civitate, ut praefati sumus, acquisiti sint Deo, longum est enarrare. Nam et ejus germana,

nomine Dativa, atque Leontia filia sancti Germani episcopi, cognatusque Dativae, venerabilis Emilius medicus, religiosus quoque Tertius Trinitatis confessione praeclarus, vel Sibidensis Bonifacius quanta pertulerint, qualibusque cruciatibus evisceratae, vel eviscerati sint, qui valet ex ordine dicat[1]).

2. Servus quoque Tuburbitanae civitatis majoris, generosus et nobilis vir, pro Christo quas pertulit quis explicet poenas? Qui post caedes innumerabilium fustium, trochleis frequentibus elevatus, dum tota prae urbe[2]) penderet, hunc in sublime tollentes, ictu celeri dimissis iterum funibus cannabinis, super silices platearum pondere corporis veniens, ut lapis super lapides corruebat. Sed et saepius tractum, et lapidibus acutissimis defricatum, et (*al.* ut) cutibus separatis, pelles corporis lateribus dorsoque videres et ventri (*al.* ventre) pendere. Iste jam temporibus Geiserici non valde dissimilia pertulerat, ne amici cujusdam sui se-

---

[1]) Horum martyrum memoriam recolit martyrologium romanum die 6. Dec.

[2]) Alii codd. habent *Totam per urbem.* Hujus martyris mentio habetur in martyrologio rom. die 7. Dec.

creta nudaret: quanto magis nunc, ut suae (*al.* sua) fidei sacramenta muniret? Et si homini gratis fideliter exhibuit fidem, quantum debuit illi, qui redditurus est pro fide mercedem?

3. In civitate vero Culusitana non valeo quae gesta sunt nuntiare, quia et ipsam quantitatem martyrum vel etiam confessorum impossibile est homini supputare. Ubi quaedam matrona, auctrix sui nominis Victoria[1]), dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, a marito jam perdito filiis praesentibus taliter rogabatur: Quid pateris conjunx? Si me despicis, vel horum miserere quos genuisti, impia, parvulorum. Quare oblivisceris uteri tui, et pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? Ubi sunt foedera conjugalis amoris? ubi societatis vincula, quae inter nos dudum honestatis jure tabulae conscriptae fecerunt? Respice, quaeso, filios ac maritum, et regiae jussionis implere festina praeceptum, ut et imminentia adhuc tormenta lucreris, simul et mihi doneris et liberis nostris. Sed illa nec filio-

---

[1]) *Auctrix sui nominis Victoria*, quae victoriam suo nomine significatam revera retulit, proinde auctrix, operatrix sui nominis exstitit.

rum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cum jam continuatione suspendii avulsis humeris, etiam qui cruciabant conspicerent mortuam, deposuerunt prorsus omni parte exanimatam. Quae postea retulit, quandam sibi virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, et illico fuisse sanatam.

4. Qualiter autem Adrumetinae civitatis civem Victorianum, tunc proconsulem Carthaginis[1]), praedicem, nescio, deficientibus verbis. Quo in Africae partibus nullus ditior fuit, qui etiam apud impium regem pro rebus semper sibi commissis fidelissimus habebatur. Mandatur ei a rege familiariter diciturque, quod eum habiturus esset prae omnibus domesticum, si ejus praecepto facilem commodasset assensum. Sed ille vir Dei missis ad se tale dedit cum fiducia magna responsum: Securus ego sum de Christo Deo et Domino meo. Haec regi dicatis: Sub-

---

[1]) *Proconsulem Carthaginis.* Hoc nomine intelligendus hic, ut puto, est magistratus aliquis a rege institutus, qui jus diceret, veluti umbra quaedam romanorum proconsulum in Africa. Victorianum simul cum duobus germanis infra laudatis celebrant vulgata martyrologia die 23. Martii. Ruinart.

rigat ignibus, adigat bestiis, excruciet generibus omnium tormentorum. Si consensero, frustra sum in Ecclesia catholica baptizatus. Nam si haec praesens vita sola fuisset, et aliam, quae vere est, non speraremus aeternam, nec ita facerem, ut ad modicum atque temporaliter gloriarer, et ingratus existerem ei, qui suam fidem mihi contulit, Creatori (*al.* creditori). Ad quod tyrannus excitatus, quantorum temporum, et quantis eum afflixit poenis, humanus sermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino feliciterque consummans, martyrialem coronam accepit.

5. Apud Tambaiensem quoque civitatem gesta, quis queat certamina martyrum explicare? Ubi duo germani fratres Aquis-Regensis civitatis, sibi securi de Domino invicem juraverunt, ut rogarent tortores, ut una poena parique supplicio torquerentur. Et dum primo suspendio, molibus lapidum pedibus alligatis, tota die penderent, unus illorum petivit se deponi, et sibi inducias dari. Cui frater alius, metuens ne fidem negaret, de suspendio clamabat: Noli, noli, frater; non ita juravimus Christo. Accusabo te, cum ante thronum ejus terribilem venerimus: quia super corpus ejus et sanguinem jura-

vimus, ut pro eo invicem (*Lor.*, simul) patiamur. Ista dicens et alia multa, confortavit germanum ad praelium passionis, qui clamans ingenti voce dicebat: Adigete (*al.* Adicite) suppliciis quibus vultis, et poenis Christianos arctate crudelibus: quod frater meus facturus est, hoc ego etiam ago. Quantis jam laminis ignitis adusti sunt, qualibus ungulis exarati, quibus cruciatibus torti, res ipsa docet, quod eos ipsi tortores a sua facie projecerunt, dicentes: Istos imitatur universus populus, ut nullus ad nostram religionem penitus convertatur; et praecipue quia nulli livores, nulla poenarum vestigia in eis penitus videbantur.

6. In Typasensi vero quod gestum est Mauritaniae majoris civitate, ad laudem Dei insinuare festinemus. Dum suae civitati arianum episcopum ex notario Cyrilae ad perdendas animas ordinatum vidissent, omnis simul civitas evectione navali de proximo ad Hispaniam confugit, relictis paucissimis qui aditum non invenerant navigandi. Quos arianorum episcopus primo blandimentis, postea minis compellere coepit, ut eos faceret arianos. Sed fortes in Domino permanentes, non solum suadentis insaniam irriserunt, verum etiam publice mysteria di-

vina in domo una congregati celebrare coeperunt. Quod ille cognoscens, relationem occulte Carthaginem adversus eos direxit. Quae cum regi innotuisset, comitem quendam cum iracundia dirigens praecepit, ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis et manus dexteras radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset, Spiritu sancto praestante, ita locuti sunt et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconem Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, et praecipue regina mira eum reverentia veneratur[1]).

---

[1]) Hoc miraculum plane solemne fuit, hinc a pluribus auctoribus refertur. Ita Aeneas gazensis in l. de immortalitate animae et corporum resurrectione seu in dial. qui *Theophrastus* inscribitur: „Tyrannus criminis in loco ducit eorum, qui ejus imperio subsunt, pietatem, jubetque illud tam praeclarum et bonum dogma sacerdotes abnegare; iis, qui non obtemperant, proh scelus! coram Deo linguam exscindit . . . Illi vero ipsius naturae conditorem implorant, qui recentiorem eis naturam die tertia post largitur, non quidem dato alterius linguae, sed facultatis sine lingua articulate, quam unquam antea,

7. Sed quis congruo sermone possit exsequi aut coacervare diversitates poenarum,

---

quod vellent eloquendi munere. Ipse ego eos viros vidi et loquentes audivi, et vocem adeo articulatam esse posse miratus sum: instrumentum vocis inquirebam, et auribus non credens oculis judicandi munus remisi, atque ore aperto linguam totam radicitus evulsam vidi, ac stupefactus mirabar, non sane quo pacto vocem conformarent, sed quomodo conservati essent. Dicit medicorum doctrina, contestatur etiam et natura, quia linguae incisio interfectio est ejus, a quo inciditur.“ Marcellinus in chronico: „Theodorico et Venantio coss. (a. 484.) totam per Africam crudelis Hunerici vandalorum regis in nostros catholicos persecutio importata est . . . Nempe tunc idem rex Hunericus unius catholici adolescentis vitam a nativitate sua sine ullo sermone ducentis linguam praecepit excidi, idemque mutus, quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox praecisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suae exordio dedit. Deniquo ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos viros praecisis linguis, truncatis manibus apud Byzantium integra voce conspexi loquentes.“ Gregorius M. dial. l. 3. c. 32. refert, se cum apud Constantinopolim moraretur, seniorem quendam episcopum cognovisse attestantem, se aliquot ex iis antistitibus africanis olim vidisse, qui absque lingua loquebantur, e quorum numero unus in carnis peccatum lapsus hoc dono illico privatus fuerat. Sed hos antistites ea poena affectos fuisse scribit in persecutione africana tempore Justiniani imperatoris, quod forte lapsu memoriae dixit. Ceterum similia refert et Procopius

quas ex jussu regis sui, etiam ipsi vandali in suos homines exercuerunt? In ipsa quoque quae gesta sunt Carthagine, si nitatur

---

l. 1. de bello vandal.: „Multis et linguas exscindebat (Honoricus) e faucibus, qui mea etiam aetate Byzantii ambulabant, integro utentes sermone nihilque de vetere poena persentientes: e queis duo, postquam se prostituti pudoris feminis miscuerunt, loqui desiere.“ Ipsemet Justinianus in constit. de officio praefecti praetorio Africae l. 1. cod. Just. tit. 27. vidisse se testatur „hos venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis poenas suas miserabiliter loquebantur.“ De eisdem confessoribus refert Victor tunnonensis in chronico, „quod linguis abscissis perfecte finem ad usque locuti sunt, urbs regia attestatur, ubi eorum corpora jacent.“ In menologio, quod e versione card. Sirleti Canisius t. 2. lectionis antiquae inseruit, legimus: „Sacerdotibus (catholicis ariani) majora excogitantes supplicia, duos incenderunt, sexaginta vero eloquentioribus linguas exciderunt, qui dispersi per omnem romanorum regionem Dei ipsius vim in efficiendis miraculis maximam sine lingua praedicabant, ita distincte et aperte et articulate verba proferentes, ut haec videntes et audientes obstupescerent: ex quibus unus quispiam post gratiam confessionis Christi lapsus in peccatum carnis divinam gratiam a se ipso fecit discedere.“ Denique Isidorus hispalensis in vandalorum historia sic scribit: „Martyres fecit (Hunericus), confessoribus linguas abscidit, qui linguis abscissis usque ad finem perfecte locuti sunt.“ Cf. Ruinart in hist. persec. vandal. comment. hist. c. 7.

scriptor singillatim astruere, etiam sine ornatu sermonis, nec ipsa nomina tormentorum poterit edicere. Quae res hodieque posita in promptu demonstrat. Alios sine manibus, alios sine oculis, alios absque pedibus, alios truncos naribus auribusque intendas, aliosque videas nimio suspendio spatulis (*al.* scapulis) evulsis, caput, quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum, dum jugiter in altis aedibus (*al.* sedibus) suspendio cruciantes, impulsione manuum funibus agitatis, per vacuum aërem huc atque illuc faciebant vagari pendentes. Qui nonnunquam disruptis funibus de illa altitudine suspensionis ictu valido corruentes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiserunt: alii confractis ossibus spiritum continuo reddiderunt, alii post paulum exhalaverunt. Sed qui hoc fabulosum putat, Uranium Zenonis legatum interroget, in cujus praesentia praecipue gesta sunt; illa scilicet causa, quia veniens Carthaginem sese pro defensione ecclesiarum catholicarum venisse jactabat. Et ut illi ostenderet tyrannus se neminem formidare, in illis plateis vel vicis plures tortores et crudeliores statuit, in quibus legatis moris est ascendendo ad palatium et descendendo transire: ad oppro-

brium videlicet ipsius reipublicae, et nostri jam deficientis temporis faecem.

8. Tunc igitur et quaedam uxor cujusdam cellaritae regis nomine Dagila, quae temporibus Geiserici multoties jam confessor exstiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis et fustibus omnino debilitata, exsilio arido et invio relegatur, ubi nullus hominum forte consolationis gratia veniendi haberet accessum, relinquens cum gaudio domum, maritum simul et filios (*al.* filium). Cui postea oblatum esse dicitur, ut in mitiorem eremum translata, frueretur, si vellet, solatio sociorum. Illa vero ingens sibi adesse credens gaudium, ubi nullus humanus esset consolantis affectus, ne fieret supplicavit.

9. Tunc etiam Eugenio pastore jam in exsilio constituto, universus clerus Ecclesiae Carthaginis caede inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius. Inter quos quamplurimi erant lectores infantuli, qui gaudentes in Domino, procul exsilio crudeli truduntur[1]). Sed libertatem tunc, cum media urbe caederentur, Murittae (*al.* Miritae) diaconi ceteris liberiorem tacere non debeo. Fuit quidam

---

[1]) Horum omnium simul cum Eugenio, Muritta et Salutari memoria recolitur in martyrologiis 13. Jul.

Elpidoforus nomine, nimium crudelis et ferus, cui fuerat delegatum membra confessorum Christi suppliciis grassantibus laniare. Hic dudum fuerat apud nos in ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de alveo fontis susceperat generatum. Post vero dum apostataret, tantae exstitit feritatis adversus Ecclesiam Dei, ut superior omnibus exsecutor persecutionis fuisset inventus. Quid multa? Dum primo presbyteri suppliciis macerandi ordine citarentur, post archidiaconum Salutarem, aptatur poenis memoratus Muritta. Fuit enim secundus in officio ministrorum. Quia cum Elpidoforo sedente et fremente honorabilis senior coepisset extendi, priusquam exueretur (*Lor.*, cruciaretur), clam forte nescientibus cunctis, illa, quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat, sabana[1]) bajulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostentione cunctis extentis, in his verbis loqui exorsus, totam ad fletum et lacrymas commovisse dicitur civitatem. „Haec sunt linteamina, Elpidofore minister erroris, quae te accusabunt, cum majestas

---

[1]) Sabana, linteorum seu tegumentorum genus. — *In ostentione*, ad ea ostendenda, seu palam, coram omnibus.

venerit judicantis. Custodientur diligentia mea ad testimonium tuae perditionis, ad demergendum te in abyssum putei sulphurantis. Haec te, infelix, immaculatum cinxerunt de fonte surgentem: haec te, miserrime, acrius persequentur, flammantem gehennam cum coeperis possidere: quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis et fidei sacramentum. Quid facturus es, miser, cum servi Patrisfamilias ad coenam regiam congregare coeperint invitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus exutum stola rex conspiciens nuptiali, dicet tibi: *Amice, quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem* (Matth. 22, 12. *seq.*)? Non video quod contuli, non agnosco quod dedi. Perdidisti militiae chlamydem, quam in tutela virgineorum membrorum decem mensibus texui[1]), et tendicula crucis extendens aqua mundavi, et purpura mei sangui-

---

[1]) Locus nonnihil implexus, cujus etiam variae in codd. exstant lectiones. Respicit scil. Victor varia vitae Christi mysteria, ejus in utero Virginis incarnationem et per 10 menses mansionem, crucifixionem et sanguinis effusionem, quibus adscribit tamquam causis meritoriis confectionem tunicae gratiae baptismalis.

nis decoravi. Non conspicio cultum signaculi mei, characterem non video Trinitatis. Talis interesse non poterit epulis meis. Ligate eum manibus et pedibus suis funiculis, quia se ipse voluntarie separare voluit a catholicis dudum fratribus suis. Ipse funes extendit continuatos in laqueum, quibus et semetipsum vinxit; et alios, ne ad istud venirent convivium, impedivit. Juxta semitam multis scandalum posuit, quem nunc cum rubore perpetuo et dedecore sempiterno de convivio meo projeci.“ Haec et alia Muritta dicente, igne conscientiae ante ignem aeternum obmutescens Elpidoforus torrebatur.

10. Parantes itaque universi dorsa sua verberibus, alacres ad exsilium pergunt. Quibus adhuc in itinere longioris viae constitutis, destinantur, episcopis arianorum suggerentibus, homines immisericordes ac violenti, ut illud, quod eis forte miseratio christiana victui contulerat profuturum, crudeliter auferretur: quando unusquisque eorum libentius forte cantabat: *Nudus exivi de utero matris meae* (Job 1, 21), nudum etiam me oportet ad exsilium pergere, quia Dominus novit esurientibus cibum porrigere, et in deserto vestire. Vandali namque duo sub Geiserico saepius facti confessores, co-

mitante matre, contemptis omnibus divitiis suis, cum eisdem clericis ad exsilium perrexerunt. De multitudine autem pergentium confessorum, id est Ecclesiae Carthaginis clericorum, suggerente quodam exlectore Theucario perdito, quos ille noverat vocales strenuos atque aptos modulis cantilenae, designatione sua debere dicit duodecim infantulos separari, quos ipse cum catholicus esset, tunc discipulos habuit. Statim illo suggerente, sub festinatione viro dimittuntur, et vi barbarici furoris bissenus numerus puerorum de itinere revocatur. Segregantur corpore, non spiritu a grege sanctorum, qui timentes praecipitium, cum suspiriis lacrymarum, ne divellerentur constringebant manibus genua sociorum, quos violentia tamen haeretica minacibus separans gladiis, Carthaginem revocavit. Sed dum cum eis, quasi cum tali aetate jam (*al. plerique* non) blanditiis ageretur, superiores suis inventi sunt annis, et ne obdormirent in morte, lucernam sibi evangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc graviter ariani, et se superatos a pueris erubescunt. Unde accensi subdi iterum fustibus jubent, quos jam ante paucissimos dies variis verberibus dissipaverant. Imprimuntur vulneribus vulnera, et

rursum poena restaurata recrudescit. Factum est, Domino confortante, ut nec aetas minor deficeret in dolore, et (*al.* sed) magis animus cresceret roboratus in fide, quos nunc Carthago miro colit affectu, et quasi duodecim apostolorum chorum conspicit puerorum. Una degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur. Illis diebus et duo negotiatores, Frumentius et alius Frumentius ejusdem urbis egregio martyrio coronati sunt[1]). Tunc et septem fratres, non natura sed gratia, simul in monasterio commanentes, confessionis certamine expleto, immarcescibilem pervenerunt ad coronam, id est Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Servus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus et Maximus monachus.

11. Nam illo tempore crudelius arianorum episcopi, presbyteri et clerici, quam rex et vandali, saeviebant. Nam ad persequendum ipsi cum suis clericis ubique gladiis accincti currebant; sicut quidam episcopus, inter illos ceteris crudelior, Antonius nomine, qui tam nefaria et incredibilia in nostros exercuit, ut narrari non queant. Fuit

---

[1]) Horum memoria recolitur 28. Martii.

iste in quadam civitate proxima eremo, quae tripolitanae provinciae vicinatur, qui, ut bestia insatiabilis, catholicorum sitiens sanguinem, huc illucque ad rapiendum rugiens (*Rhen.*, fugientes) excurrebat. Nam impius Hunericus sciens Antonii ferocitatem, in ipsis (*al.* ipsius) eremi partibus voluit sanctum Eugenium relegari. Quem cum custodiendum Antonius accepisset, ita eum arctiori custodia cinxit, ut nullum ad eum introire permitteret: insuper variis insidiarum atque poenarum suppliciis cogitabat eum exstinguere. Sed Eugenius sanctus, dum nostrae persecutionis defleret incommoda, et asperitate cilicii senile attereret corpus, nudamque super humum cubitans stratum sacci (*al.* sacris) sui rigaret imbribus lacrymarum, aliquando sensit infestum paralysis morbum. Quo nunciato (*al.* nuncio) in gaudia conversus arianus, pergit festinus ad cubile eximii (*mss.* 44, exsilii) hominis Dei; et cum videret, urgente passione, verum pontificem balbutientia verba producere, cogitavit simul exstinguere quem superesse nolebat. Praecepit ut acetum asperum nimisque acerrimum quaereretur; quod cum fuisset allatum, venerabilis senis recusantibus et nolentibus faucibus ingerebat. Nam si commu-

nis Dominus, qui ad hoc venerat ut potaret, cum gustasset noluit bibere, quanto magis iste servus et confessor fidelis omnino nollet, nisi haeretica feritas ingessisset? Ex quo aceto praesertim illi passioni noxio morbus accepit augmentum. Cui pietas Christi misericorditer subveniens postea sanum exhibuit.

12. Alium autem nostrum episcopum Habetdeum similiter relegatum Tamallumensi civitate, in qua Antonius fuerat, quantum potuit infestare res ipsa demonstrat. Nam cum diversis eum persecutionibus affligeret, nec posset eum facere arianum, videretque Christi militem semper in confessione constantem, promiserat suis, dicens: Nisi eum nostrae fecero religionis, non sit (*al.* sum) Antonius. At ubi in sua promissione minor inventus est, suggerente sibi diabolo cogitat aliud. Pedibus manibusque ligatis, vinculis ingentibus arctat episcopum, oreque obturato ne lingua clamaret, aquam corpori, ut putabat, rebaptizationis spargit: quasi valeret conscientiam ligare cum corpore, aut non ibi adesset qui audit gemitus compeditorum, et cordis secreta rimatur: vel superare posset aqua mendax tantae voluntatis propositum, quod jam homo Dei metantibus lacry-

mis miserat legatum in coelum. Exuit statim vinculis virum, et tali, quasi gaudens, prosequitur voce: Ecce jam, frater Habetdeum, noster christianus effectus es; quid ultra facere poteris, nisi ut voluntati consentias regis? Cui Habetdeum: *Illa est*, impie Antoni, *mortis damnatio, ubi voluntatis tenetur assensio.* Ego fidei meae tenax, vocibus confitens crebris, quod credo et credidi, clamando defendi. Sed et postea quam catenis vinxisti, et oris januam oppilasti, in praetorio cordis violentiae meae, subscribentibus angelis, gesta confeci, et lectitanda imperatori meo transmisi.

13. Erat quidem generalis ista violentia tyrannorum. Nam vandali pro hac re ubique erant destinati, ut transeuntes itinera sacerdotibus suis adducerent jugulandos [1]). At

---

[1]) *Jugulandos* scil. secundum animam, quatenus eos cogebant, ut iterum baptizarentur: iteratum enim baptisma defectionis ab Ecclesia catholica erat signum. Ex universa hac historia aliisque patrum testimoniis liquet, baptismi iterationem habitam fuisse tamquam crimen enorme. Ita Augustinus ep. 23. n. 2.: „Rebaptizare catholicum, immanissimum scelus est;“ de unico bapt. c. 43. n. 22.: „Rebaptizare catholicos . . . semper est diabolicae praesumptionis;“ de bapt. l. 5. c. 5. n. 6, 7., ubi inter alia scribit: „Homines occulta nescio qua inspiratione

(*al.* ac) ubi eos fallacis aquae gladio peremissent, indicium eis perditionis scriptura teste tradebant, ne alibi simili violentia traherentur; quia non licebat sive negotiatoribus, sive privatis alicubi transire, nisi descriptam characteris indicio suam miseri ostenderent mortem. Quod per revelationem servo suo Joanni olim jam ostenderat Christus, ubi dicit: *Nulli licebit aliquid emere vel vendere, nisi qui habuerit characterem bestiae in fronte sua et in manu sua* (Apoc. 13, 16, 17). Nam et episcopi atque presbyteri illorum, cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos et oppida circuibant, et sic despicatis postibus januarum, aquam gladiumque gestantes animarum praedones intrabant: et quos domi repererant, alios forte in lectulis soporatos imbre igneo atque

---

Dei detestantur, si quis iterum baptismum accipiat.“ Imo de bapt. l. 2. n. 19. affirmat: „Quid sit autem perniciosius, utrum omnino non baptizare an rebaptizari, judicari difficile est.“ Hieronymus in dial. adv. lucifer. n. 4. hanc rationem reddit, quare Ecclesia catholica eos, qui ab arianis baptizati erant, reciperet absque novo baptismo: „Recipimus laicos, quoniam nemo converteretur, si se scierit rebaptizandum.“ Baptismi iterationem etiam s. Leo I. ep. 166. *inexpiabile facinus* dicit. Cf. constit. apost. quae gravissimis verbis illam prohibent.

fulmineo respergentes, daemoniaca vociferatione christianos suos ipsi pariter vocitabant, ut ludum potius suae haereseos, quam aliquam religionem ostenderent. In quo minus capaces et ignari impletum in se pollutionis sacrilegium putabant (*al.* imputabant): prudentiores vero nihil sibi, quod nolentibus atque dormientibus ingestum est, obesse gaudebant. Nam et multi eadem hora cinerem capitibus suis injecerunt, alii sese, vel quia factum est, cilicio lugubri texerunt, nonnulli coeno fetido linierunt, et linteamina violenter imposita per fila consciderunt, atque in latrinas fetidaque loca manu fidei projecerunt.

14. Tali violentia, nobis videntibus, in Carthagine filius cujusdam nobilis, annorum circiter septem, jussu Cyrilae a parentibus separatus est, matre sine verecundia matronali, solutis crinibus, post raptores tota urbe currente, infantulo clamante ut poterat: Christianus sum, christianus sum, christianus sum. Cui, Trinitatem in his ternis vocibus declarantem, os obturantes, insontem infantiam in suum gurgitem[1]) de-

---

[1]) *Gurgitem*, in fontem baptismalem.

merserunt. Ita de filiis medici venerabilis Liberati factum esse probatur. Nam cum ex jussu regis cum uxore et liberis ad exsilium mitti juberetur, cogitavit impietas ariana a parentibus filios parvulos separare, ut posset per pietatis affectum etiam virtutem prosternere genitorum. Disjunguntur ergo a parentibus tenera pignora filiorum. Cumque vellet Liberatus lacrymas emittere, auctoritate uxoria increpatur, et in ipso meatu exitus sui illico lacrymae siccaverunt. Ait enim ei conjux: En (*al.* et) propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam? Computa eos non fuisse natos; nam et ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nonne vides eos clamantes, et dicentes, Christiani sumus? Sed haec mulier quid in conspectu judicum egerit tacendum non est. Nam cum ipsa et maritus, licet seorsum, carceris custodia tenerentur, ita ut se penitus non viderent, mandatur mulieri diciturque illi: Solve jam duritiam tuam. Ecce vir tuus paruit imperio regis, et noster factus est christianus. Aitque illa: Videam illum, et faciam ego quod voluerit Deus. Educta igitur de carcere, invenit virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunalibus (*al.* tribunali) connexum, et verum aesti-

mans quod finxerant inimici, injecta manu apprehendens oram vestimentorum ejus gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum, dicens: Perdite, et reprobe, gratiae Dei et misericordiae ejus indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, et in aeternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? Nunquid liberabunt te de camino gehennae? Dixit et alia multa. Cui maritus respondit: Quid pateris, mulier? quid tibi videtur, aut quid forte de me audire potuisti? Ego in nomine Christi catholicus permaneo, nec amittere potero aliquando quod teneo. Tunc (*al.* ubi) haeretici mendacii sui conscii et detecti, fallaciam suam colorare minime potuerunt.

15. Et quia superius de violentia immanitatis eorum breviter diximus, hanc plurimi metuentes, alii in speluncis, alii in desertis locis viri vel feminae, nullo sibi conscio sese claudebant: et ibidem, nulla succurrente sustentatione ciborum, fame vel frigore victi, contritum et contribulatum spiritum exhalabant, inter (*al.* per) haec afflictionis incommoda inviolatae secum fidei securitatem portantes. Sic enim Cresconius presbyter Mizentinae civitatis in spelunca Ziquensis montis repertus est, putrescente jam solutus cadavere.

16. Et quia de sancto Habetdeum praefati jam sumus, pergit tunc ad Carthaginem, adire censuit nefarium regem, ut conscientiam suam, quam semper familiarem Trinitatis habuerat (*al.* habuit) et amicam, etiam hominibus faceret manifestam. Nec eum retinere potuit Antonius propter verecundiam suam. Offert impiissimo regi libellum in hac similitudine verborum. Quid quaeso jam cum projectis habetis? quid cum eis, quos exsilio relegastis, quotidie dimicatis? Abstulistis substantias; ecclesiis, patria domibusque privastis. Sola anima remansit, quam captivare contenditis. O tempora! o mores! universus haec mundus intelligit, et ipse, qui persequitur videt. Si fides dicitur quam tenetis, quid veráe fidei membra tantis persecutionibus agitatis? quid vobis cum exsilio nostro, quid vobis cum egenis in hoc seculo, quorum est vita semper in Christo? Liceat saltem gaudere consortio bestiarum eis, quos abjecistis a facie omnium populorum. Dum haec et his similia pontifex Dei dixisset, sceleratus tyrannus hoc ei mandasse perhibetur: Vade ad episcopos nostros, et quod tibi dixerint sequere, quia ipsi hujus rei habere noscuntur per omnia potestatem. Sed neque Anto-

nium haec res ab insania potuit revocare, scientem magis imperio regis ob hoc multum posse placere. Habetdeum vero episcopus gaudens bono conscientiae suae ad locum exsilii mäluit remeare.

17. Ea tempestate facta est incredibilis fames, et coepit Africam totam una depopulatione vastare. Nullus tunc adfuit imber, nulla prorsus gutta de coelo profluxit. Nec frustra, sed vero et justo judicio Dei, ut ubi, persequentibus arianis, coenosi gurgitis aqua ignis et (*al.* et ignis) sulphuris bulliebat[1]), indulgentiae coelestis, quae semper affluenter aderat, pluvia negaretur. Lurida remanserat terrae facies omnis. Non vitis tegebatur aestate pampineis opacata virgultis, non sata respersa vultus cespitum viridabant: non olea semper viridis, foliisque repleta jucundis (*al.* jucundi) decoris sui consuetum tegmen habebat: non pomorum virgulta, maritante tellure, gemmas produxerant florum, postea fructus, ut assolent, reddituras

---

[1]) Coenosi gurgitis etc. Sensus est, justo Dei factum esse judicio, ut ubi ariani fontes baptismales constituerent ad rebaptizandum catholicos, hinc coenosos quique immergerent rebaptizatos in sulphur et ignem aeternum, ibi etc.

(*al.* editurae). Tristia fuere tetraque omnia, et par pestilentiae clades Africam confuderāt omnem. Non hominibus, non jumentis germinantis herbae ediderat tellus omnino virorem. Aruerant dudum currentium impetu praecipiti alvei fluminum, fontiumque crispantes perennitate subtracta pariter siccatae erant venae. Oves et boves universi, insuper et pecora campi, simulque bestiae silvarum, inedia consumente, nusquam penitus visebantur. Et ubi forte graminosus cespes humida tunc in valle locatus, pallentem potius quam virentem nascentis feni coeperat proferre colorem, illico urens et igneus flatus aderat, totum torrendo desiccans, quia pulverulenta (*al.* pulverea) tempestas arido sub aëre decoquens cuncta, omnem nebulaverat locum. Nullum gestum est tempore illo commercium: nullum cespitem terrae, juvencis trahentibus, scindens vertit aratrum; quia nec boves suberant, nec rastra omnino remanserant. Inter haec omnia autem mala, et rusticorum manus alia interierat, et subinde quae forte supererat, jam sepulturam quaerebat. Et quia, urgente famis incommodo, neque commercia, ut fati sumus, pro consuetudine, neque cultura reddebatur debita terris; juvenum, senum, ado-

lescentium atque adolescentularum, puerorum vel etiam puellarum agmina simul et funera, ubi poterant, quomodo poterant, passim diffundebantur, circumeuntes oppida, vicos vel singulas urbes. Conversi enim in arcum pravum et perversum (Psal. 77, 57), atque irritantes Deum ad aquas contradictionis (Psal. 105, 32) famem patiebantur ut canes (Psal. 58, 7, 15), non ut comederent panem, sed ut infensam sentirent, quam negaverant, Trinitatem. Alii diffusi per campos, alii secreta silvarum petebant; antiquas radices herbarum, vel quisquilias aliquas requirentes. Nonnulli, cum domo niterentur egredi, in ipso limine corruentes, cătervatim fame debellante cadebant; stratae vero vel semitae cadaveribus repletae, exhalantium fetore mortuorum, gradientes vivos omni ex parte necabant. Nec deerant quotidie ubique exspirantium funera, et non erat virtus, quae miserationis impenderet sepulturam. Neque enim sufficiebant ad sepeliendum vivi, fame dominante, et ipsi post paululum morituri. Cupiebant singuli libertatem suam filiorumque suorum perpetuae servituti redigere, et non poterant invenire. Montes et colles, plateae civitatum, viae vel semitae unum omnibus fecerant ubique se-

pulcrum, quibus inedia depascens denegaverat victum. Vandali autem ipsi, quos et prius frequentia multarum provinciarum spolia, et retentio (*Colb.* 1, recentia) Africae primo fecerant divites, majori inopia torquebantur. Et quanto sibi videbantur servorum aggestione[1]) superbi, tanto amplius deficiebant fame torquente defecti. Nullus filium, nullus conjugem, nullus proprium tenuit servum: sed exiens unusquisque, non ubi voluit sed ubi valuit, aut statim defecit, aut nunquam omnino redivit. Urgebatur etiam tunc infelix multitudo ad ipsam urbem Carthaginem congregari. Et dum illuc catervatim adhuc animata cadavera confluerent, ubi rex inferendarum mortium vidit strages, pelli urbe omnes illico jubet, ne contagio deficientium, commune pararet etiam exercitui ejus sepulcrum. Suis ergo provinciis et domibus singulos imperat revocari. Sed nec erant, qui reverterentur, dum quisque utique sepulturam suam in vultu portaret. Et idcirco forte major rebaptizatorum perditio potuit provenire, quia dum promittitur ab arianis praesentis transactio

---

[1]) *Aggestione* accumulatione, numero.

vitae, nec illud obvenit, et mors sequens prima secundam praevenit. In tantum igitur sibi devastans vindicavit fames dominium, ut loca nonnulla et admodum populosa, habitatoribus exstinctis, alto nunc silentio, parietibus solis exstantibus, conquiescant.

18. Sed quid ego jam immoror in hoc, quod explicare non queo? Nam et si nunc superessent, vel eis fari de talibus licuisset, et Tulliānae eloquentiae fluvius siccaretur, et Sallustius elinguis omnimodis remaneret. Et, ut alienos indignos rei tantae praeteream, si caesariensis surgeret Eusebius ad hoc opus idoneus, aut ejus translator graecae facundiae latinisque floribus Rufinus ornatus: et quid multa? non Ambrosius, non Hieronymus, nec ipse noster sufficeret Augustinus. *Audite haec, omnes gentes; auribus percipite, omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper* (Psal. 48, 1). Nonnulli, qui barbaros diligitis, et eos in condemnationem vestram aliquando laudatis, discutite nomen, et intelligite mores. Numquid alio proprio nomine vocitari poterant, nisi ut barbari dicerentur; ferocitatis utique, crudelitatis et terroris vocabulum

possidentes? Quos quantiscunque muneribus foveris, quantiscunque delinieris obsequiis, illi aliud nesciunt, nisi invidere[1]) romanis: et quantum ad eorum attinet voluntatem, semper cupiunt splendorem et genus romani nominis obnubilare, nec ullum romanorum omnino desiderant vivere. Et ubi adhuc noscuntur parcere subjectis, ad utendum servitiis illorum parcunt; nam nullum dilexerunt aliquando romanorum. Si disputare nitebatur nobiscum de fide barbara ferocitas, et haeresis ariana rationabiliter disputaret. Sed quando tenet (*al.* tenuit) rationem, quae a Patre Deo Deum Filium separat Salvatorem? Quare dolis et calumniis egerunt, et

---

[1]) Post varias barbarorum irruptiones, cum in plerisque imperii, potissimum Occidentalis, provinciis, barbari simul et antiqui populi, quos olim romani subjugaverant, permixti essent, mos invaluit, ut isti *romani*, alii *barbari* appellarentur, ita ut nulla *barbari* vocabulo ulli irrogaretur injuria, quod econtrario honori ducebant ii, qui nunquam romanorum jugo fuerant subditi. Unde Theodoricus, ostrogothorum in Italia rex, leges pro *barbaris*, id est suae gentis hominibus, et pro *romanis*, antiquis scilicet Italiae incolis, tulit. Plura ea de re exempla vide si vacat, apud Hadrianum Valesium libro VI. Rerum Francicarum circa medium. Ruinart.

velut spiritus tempestatis, procella sui furoris totum subvertere voluerunt? Si disputatio necessaria fuerat episcopalis, quare suspendia, quare ignes, quare ungulae simul et cruces? Quare arianorum serpentina proles contra innocentes genera talia tormentorum invenit, qualia nec ipse [1]) Mezentius exquisivit? Dimicavit contra innocentiam cupiditas furoris et avaritiae crudelitas, ut et animas perderet, et substantiam harpagaret[2]). Si collatio desiderabatur, quare rapinae rerum alienarum, non tantum sacerdotum, verum etiam omnium laicorum? Sed illi exspoliati laetati sunt, et rapinam rerum suarum cum gaudio susceperunt.

19. Adsit jam quaeso omnis aetas, omnis sexus, omnisque conditio. Adsit, obsecro, omnis turba catholici nominis: quae gremio materno toto orbe gestatur, quae sola ger-

---

[1]) Hic fuit tyrrhenorum rex, ob summam in deos et homines impietatem famosus. Cum vero a suis pulsus e regno fuisset, Turno adversus Aeneam bellum gerenti adhaesit, in quo ab eodem Aenea fuit occisus, ut narrat Virgilius Aeneidos libro X. Meminit et Plinius lib. XIV. cap. 11, Mezentii Etruriae regis a Varrone memorati, quem Rutulis adversus latinos sub vini mercede auxilium tulisse refert.

[2]) *Harpagaret*, raperet quasi harpagone quodam.

manum commodare novit affectum, quae didicit a Paulo magistro et gaudentibus collaetari, et cum lugentibus lamentari (Rom. 12, 15). Conveniant simul ad domum nostri doloris, et paribus oculis fundamus flumina lacrymarum, quia causae et fidei nostrae unum est negotium. Nullum volo ad condolendum mecum haereticum convenire, qui forte addere concupiscit super dolorem vulnerum meorum (Ps. 68, 27), et gratulatur quotidie malis meis (Ps. 34, 26). Nolo, nolo ego extraneum, sed fraternum quaero affectum: nolo aliquem filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis (Ps. 143, 8): quia filii alieni semper mentiti sunt mihi, qui inveteraverunt et claudicaverunt a semitis suis (Ps. 17, 46). Isti dicunt mihi quotidie: *Ubi est Deus tuus* (Ps. 41, 4)? dum affligitur populus pretioso Agni sanguine comparatus. Inter quorum opprobria ego ad flagella paratus (Ps. 37, 18), cantare non desisto Domino flagellanti: Amove a me flagella tua (Ps. 38, 11), quia ego defeci, non a fortitudine manus tuae, sed a persecutione haeresis arianae. Adveniant igitur nunc omnes, qui mecum angustae viae carpunt iter, et propter verba labiorum Dei cu-

stodiunt vias duras (Ps. 16, 4), et videant si est dolor, sicut dolor meus. *Quoniam vindemiatus sum in die furoris Domini* (Thren. 1, 12), *aperuerunt super me os suum omnes inimici mei, sibilaverunt et fremuerunt dentibus; dixerunt: Devorabimus eam. En ista est dies, quam exspectabamus: invenimus, vidimus* (Thren. 2, 16). Adestote, angeli Dei mei, qui nunquam deestis constituti in ministerio vestro, propter eos, qui hereditatem capessuri sunt aeternae salutis (Hebr. 1, 14), et videte Africam totam, dudum tantarum ecclesiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus desolatam; tantis ordinibus sacerdotum ornatam, modo sedentem viduam et abjectam. Sacerdotes ejus et seniores in desertis locis et insulis defecerunt, quaerendo sibi escas ad manducandum, et non inveniunt (Thren. 1, 19). Considerate et videte, quia Sion civitas Dei nostri facta est vilis, facta quasi polluta menstruis inter inimicos suos (Thren. 1, 11, 17). Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes invadere et ingredi atria sua, de quibus praeceperas, ne introirent Ecclesiam tuam (Thren. 1, 10). Viae ejus lugent, eo quod nemo conveniat in die festo. Egressus est a facie ejus

omnis decor et deliciae (Thren. 1, 4, 6): didicerunt vias asperas ambulare virgines ejus et juvenes ejus, in aulis educati monasteriorum abierunt in captivitatem maurorum; dum lapides sanctuarii (*al.* sancti) ejus disperguntur, non tantum in capitibus omnium platearum (Thren. 4, 1), sed etiam in locis squalidis metallorum. Dicite Deo nostro susceptori ejus, habentes fiduciam supplicandi, quoniam tribulátur, et venter illius turbatus est a fletu ejus (Thren. 1, 20); quia sedit inter gentes et requiem non invenit, nec est qui consoletur eam (Thren. 1, 2, 3). Quaesivit a patribus Orientis qui simul contristaretur, et non fuit; consolantem et non invenit: dum manducaret in esca sua fel, et in siti sua potaretur aceto (Psal. 58, 21, 22), sponsi et Domini sui passiones imitando, qui idcirco passus est pro ea, ut sequatur vestigia ejus (1. Pet. 2, 21).

20. Deprecamini, sanctissimi patriarchae, de quorum stirpe generis nata est quae nunc laborat in terris. Orate, sancti prophetae, cognoscentes afflictàm, quam antea vaticinante praeconio cecinistis. Estote, apostoli, suffragatores ejus, quam ut aggregaretis, universum orbem, ascendente in vobis Domino, ut equi velocissimi cursitastis. Prae-

cipue tu, beate Petre, quare siles pro ovibus et agnis a communi magno Domino magna tibi cautela et sollicitudine commendatis (Joan. 21, 15. *seq.*)? Tu sancte Paule gentium magister, qui ab Hierusalem usque ad Illyricum praedicasti Evangelium Dei (Rom. 15, 19), cognosce, quid vandali faciunt et ariani, et filii tui gemunt lugendo captivi. Tu Petri germane, et non in passione dispar, gloriose Andrea, qui interpretaris virilis, quoniam viriliter certasti, considera gemitum africani populi, et non displiceat tibi, sed interveni pro nobis ad Deum. Universique ingemiscite sancti simul pro nobis apostoli. Sed scimus, quia indignum est vobis pro nobis orare; quia ista, quae evenerunt nobis, non ad probationem, quomodo sanctis, sed malis meritis supplicia debebantur. Sed et pro malis orate jam filiis, quia et Christus oravit etiam pro inimicis judaeis (Luc. 23, 34). Sufficiant castigationi quae juste illata sunt nobis, et jam jamque delinquentibus veniā postuletur; dicaturque angelo percutienti: Sufficit, jam cohibe manum tuam (1. Paral. 21, 15). Quis ignorat haec nobis probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus a mandatis Dei, et in lege ejus nolentibus ambulare (Psal. 77,

10)? Sed prostrati rogamus, ut non spernatis vestros miseros peccatores, per eum, qui vos ad apostolicum culmen provexit humiles piscatores.

21. Tenuit sceleratissimus Hunericus dominationem regni ânnis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans. Nam putrefactus et ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis ejus videntur esse sepultae. Sicut ille legis datae transgressor rex [1]) quondam, ut asinus sepultus est, ita iste in brevi simili morte periit.

---

[1]) Alludit Victor ad id, quod refertur Jer. 22, 19., ubi propheta Joachim regi Judae praedicit, quod ob scelera, quibus involutabatur, *sepultura asini* foret *sepultus*, *putrefactus et projectus extra portas Jerusalem*. Hanc vero infaustam Hunerici mortem describit Victor tunnonensis et ex eo s. Isidorus hispalensis in Chronico a. 501. referentes ipsum „inter innumerabiles impietatum suarum strages, quas in catholicos exercuerat, octavo regni anno, ut Arius pater ejus, interioribus cunctis effusis miserabiliter vitam finivisse.“